Annus XVI. Iunius 1902. N. 6.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA NOVISSIMA

DECRETUM.

LABACEN.

R. D. Iosephus Erker, Canonicus Cathedralis Ecclesiae Labacensis, de consensu R.mi sui Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit; nimirum:

I. Privilegium circa Missas de Requie concessum Sacellis sepulcreti ex Decreto n. 3903, diei 8 Iunii 1896, et Ecclesiae, vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti, ex Decreto n. 3944, diei 12 Ian. 1897 ad 1 favetne etiam Sacellis, Ecclesiis et Oratoriis publicis sepulcreti, in quo olim cadavera sepeliebantur, quod sepulcretum tamen hodie quacumque ex causa derelictum est, ita ut defuncti in eo non amplius sepeliri soleant?

II. Praefatum privilegium favetne etiam Ecclesiae parochiali, quae circumiacens habet coemeterium, quum in casu Ecclesia parochialis revera evaserit Ecclesia sepulcreti?

III. In anniversariis stricte sumptis laicorum, quae fundata sunt extra diem vere anniversariam ab obitu vel depositione, potestne sumi Oratio " *Deus indulgentiarum Domine*

IV. Anniversaria late sumpta, quae ex Decreto generali diei 2 Dec. 1891 pro fidelium pietate infra octavam Omnium Fidelium Defunctorum locum habent, suntne adeo praecise adstricta ad dictam octavam, ut aliis temporibus, e. g., infra octavam Dedicationis Ecclesiae, vel Titularis eiusdem, vel in uno ex Quatuor Temporibus non permittantur ?

V. In Ecclesiis ad chorum non obligatis, plures Missas habentibus, in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum debetne esse una saltem Missa cum cantu de Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, an omnes possunt esse lectae ?

VI. Quaenam Missa de Requie sumenda est in Ecclesiis unam tantum Missam habentibus, quando in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum occurrit alicuius defuncti dies depositionis ?

VII. Ex Decreto n. 3944, diei 12, Ianuar. 1877 ad 3, et 3 April. 1900 ad 3 et 4 in una *Vicen.* Missae privatae die, vel pro die obitus, seu depositionis, in Ecclesiis et Oratoriis publicis fieri permittuntur, si in iisdem etiam fiat funus cum Missa exequiali cum cantu, servatis servandis. Quaeritur : An funus cum Missa exequiali in cantu fieri debeat etiam in Oratoriis *semipublicis,* ut fieri inibi possint praefatae Missae lectae de Requie ?

VIII. Iuxta praefatum Decretum, diei 3 April. ad 3 et 4 in una *Vicen.* in Oratoriis privatis Missae, quae ibidem legi permittuntur, possunt esse de Requie *praesente cadavere in domo.* Quaeritur : Utrum haec praesentia intelligenda sit de praesentia non solum physica, sed etiam morali in *domo,* quatenus ex gravi causa, ex. g., ob contagiosum morbum, cadaver vetatur haberi in domo ?

IX. Ex Decreto generali n. 3755, diei 2 Decembr. 1891 Missam exequialem solemnem impediunt Festa duplicia 1 classis solemniora, sive universalis Ecclesiae, sive Ecclesiarum particularium *ex praecepto Rubricarum recolenda.* Quae-

ritur: Utrum haec ultima verba intelligenda sint tantum de Festis fori recolendis cum feriatione ex parte fidelium, vel etiam de Festis chori sine feriatione, qualia sunt, e. g., anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, Festum Patroni regionis, dioecesis aut loci, quae non ubique recoluntur a populo?

X. Quaeritur: Utrum Missa de Requie cum cantu, quae ex praefato Decreto generali n. 3755 ad III celebrari potest pro prima tantum vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, die, quae prima occurrat non impedita a Festo 1 et 2 classis vel Festo de praecepto, cantari possit Feria IV Cinerum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV, V, VI et Sabbato infra octavas Paschatis et Pentecostes, quum, licet hae dies neque Festa sint de praecepto, neque ritum 1 vel 2 classis habeant, excludant tamen eadem Duplicia 1 classis?

XI. Quaeritur: 1° An in Missis de Requie, quae, abstrahendo a Missa exequiali solemni aliisque, occasione huius lectis, in *Semiduplicibus* et *Simplicibus* occurrentibus ab obitu usque ad depositionem alicuius fiunt cum vel sine cantu, adhibendum sit idem formulare ac in die obitus seu depositionis?

2° An idem dicendum sit etiam respectu Missarum, quae celebrantur in biduo post factam ob gravem causam sepulturam, si occurrat *Semiduplex*, vel *Simplex?*

XII. In Decreto n. 3822, diei 3 April. 1894 disponitur, ut dum corpus Episcopi dioecesani defuncti, sacris indutum vestibus, in propriae aedis aula maiori publice et solemniter iacet expositum, Missae in suffragium animae eius per totum mane celebrari valeant, iis omnibus servatis etc. Quaeritur: An haec dispositio necessario intelligi debeat de *Missis de Requie* pro defuncto Episcopo dioecesano inibi celebrandis, idque nullo habito respectu ritus aut solemnitatis diei, qua celebrantur, sive sit Duplex maius aut minus, sive classicum el Festum solemne?

XIII. Expositio Sanctissimi Sacramenti publica seu solemnis, quae fit de licentia Ordinarii, potestne fieri etiam cum pyxide collocanda in throno tabernaculi?

XIV. Expositio Sanctissimi Sacramenti privata et minus solemnis, quae fit cum pyxide intra tabernaculum, ostiolo patefacto, si sit permanens et ex causa publica, impeditne Missas de Requie?

XV. Sacerdos obligatus, sive ex fundatione sive ex stipendio accepto, ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, satisfacitne suae obligationi, applicando pro iisdem defunctis Missam officio diei conformem in Semiduplicibus aliisque diebus Missas quotidianas de Requie permittentibus, vel tenetur dictis diebus celebrare Missam de Requie, etiamsi fundator, vel dans eleemosynam, Missam de Requie expresse non postulaverit, nec Missa celebranda sit in altari privilegiato?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. " Negative. „

Ad II. " Negative. „

Ad III. " Affirmative. „

Ad IV. " Affirmative. „

Ad V. " Missam in cantu de Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, in casu, non esse praescriptam. „

Ad VI. " Missa erit ut in die obitus. „

Ad VII. " Negative in casu. „

Ad VIII. " Affirmative, iuxta Decretum n. 3903, diei 8 Iunii 1896. „

Ad IX. " Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam, quoad festa localia solemniora. „

Ad X. " Negative in omnibus, iuxta Decret. Gener. n. 3922, diei 30 Iunii 1896, § III, n. 2. „

Ad XI. " Ad 1 et 2, adhibeatur Missa ut in die obitus, seu depositionis. „

Ad XII. " Missae lectae, in casu, permittuntur ad normam Decreti n. 3903, diei 8 Iunii 1896. „

Ad XIII. " Negative, iuxta Decreta. „

Ad XIV. " Affirmative, in casu, iuxta Decretum *Varsavien.* 7 Maii 1746 ad 4, n. 2390. „

Ad XV. " Detur Decretum N. 4031, *Plurium Dioecesium*, 13 Iunii 1899 ad IV. „

Atque ita rescripsit. Die 28 Aprilis 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VI.

DE DIE OCTAVA OCCURRENTE INFRA ALIAM OCTAVAM PRIVILEGIATAM.

(Decr. 2611: 2688: et 24 Maii 1901, ad IV).

Anno 1901, quo festum SS. Corporis Christi occurrit die 6 Iunii, in Ecclesia B. dies octava S. Francisci Caracciolo Conf. et Titularis (4 Iun.) incidit in diem 11 dicti mensis, hoc est in diem VI infra octavam eiusdem SS. Corporis Christi. Haec autem octava ita in praefata Ecclesia erat privilegiata, ut sola duplicia I et II classis, tam occurrentia, quam

translata admitteret, reliqua festa excluderet. Hinc controversia exorta est circa diem octavam S. Titularis, an videlicet per integrum officium recolenda ea esset, an per solam commemorationem. Nonnulli enim primis duobus praecitatis Decretis innixi iudicabant, integrum in die octava Titularis agendum officium, quod in festis ab Octava privilegiata exclusis illa non comprehenditur: nonnulli e contra praedicabant, solam de illa commemorationem faciendam esse, quod dies octava nec I, nec II classis est, sed tantum duplex minus, ac proinde, ratione octavae privilegiatae manet exclusa, prout ultimum ex praecitatis Decretis edicit. *Quaeritur:*

1. *Utrum aliquae ex festivitatibus ita semper celebriores in Ecclesia fuerint, ut ex tunc per integras earum octavas quodammodo privilegiatae appellari queant, et alias festivitates respuerint?*

2. *Quaenam, et quo diverso sensu, in praesenti disciplina, festivitatum octavae dicantur privilegiatae? Quid peculiariter de octava SS. Corporis Christi, sive in universali, sive in particularibus Ecclesiis dicendum?*

3. *Quid, praecitatis Decretis apprime perpensis collatisque inter se, tenendum sit circa diei octavae officium non agendum, quando eadem octava dies intra octavam aliquam privilegiatam incidat, ut in casu?*

4. *Pro quibus ex disceptantibus ratio pugnet?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Antonii Frau, **habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 5 Martii 1902; acta epitome per R.mum Dom.** Petrum Piacenza, **Proton. Apostol.**

1. Utrum aliquae ex festivitatibus ita semper celebriores in Ecclesia fuerint, ut ex tunc per integras earum octavas quodammodo privilegiatae appellari queant, et alias festivitates respuerint?

Propositam quaestionem satis videbimur enucleasse, quum de *Octavis* sermo institutus fuerit, ad origines nos referendo, earum ambitum et qualitatem determinando, ut exinde tum normae et leges disciplinares statui valeant, tum sensus iam existentium recte detur interpretari. Et si vel parum veteres usus in S. Liturgia perscrutemur, vestigia saltem inveniemus, quae sequi tuto possimus, tamquam peculiari distinct nota, quoad octavas. Et imprimis, octonarius numerus nimium carum fuisse compertum est tum Hebraeis tum Paganis; utrique myticas, symbolicas et mysticas significationes ei tribuebant, quas funditus perscrutari supervacaneum putamus. Attamen verum festorum cum octava typum nonnisi apud Hebraeos extitisse videmus. Ab eis ad Gentiles derivasse probabile est, verum apud istos nullam specialem gravitatem induit, prout facile eruitur ex moribus Romae paganae, in suis festis recolendis, in quibus raro octava invenitur celebrata. Illud quoque notatu dignum est, ab initio festa Hebraeorum non ultra septimum diem protracta fuisse, hoc autem in obsequium ac memoriam magnae creationis hebdomadae. Capite XXIII, 36 libri Levitici primo praeceptum fuisse invenimus, ut festum Tabernaculorum *die quoque octavo celeberrimum* atque *sanctissimum* recoleretur.

Ceterum, si apprime res consideretur, neque hic verus dignoscitur typus octavae, prout optime notat Sarnellius (*Lettere ecclesiastiche*), Gavanto ex parte contradicens. Legimus sane: " A decimoquinto die huius mensis septimi erunt feriae Tabernaculorum septem diebus Domino... et septem diebus offeretis holocausta Domino, dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus; est enim coetus atque collectae. „ Unde S. Thomas (*1ª 2ae, q. 140, ad 4*), et cum eo alii interpretes, duo distinguunt festa, unum Tabernaculorum, aliud Coetus; et Magister scholasticae historiae ait: " Octava autem dies erat solemnis non quia erat de Scenopegia, sed quia eo die conveniebant ad faciendam collectam. „ Poterit igitur ad summum appellari *quasi-octava*, ad instar alicuius, quae adhuc in nostro cultu invenitur. Vera octava non in Lege, sed posterius invenitur, cum nempe Salomon, postquam Arcam foederis detulerat, et in magnifico Templo deposuerat, quod Summo Deo dicaverat: " detinuit populos diebus octo in hostiis pacificis et holocaustis. „ Deinde, postquam Templum ipsum profanatum fuerat, idem sanctificavit Ezechias, festa ad dies octo iubens ut protraherentur (*Paralipom. l. 2*). Hoc idem fecerunt et Machabaei, qui festum Dedicationis Templi per integram octavam celebrarunt, holocausta offerentes magna laetitia ac summa iubilatione.

Inter veteres Liturgistas plurimi inveniuntur, qui ad probandam octavarum celebrationem inter Hebraeos, argumento utuntur a titulo desumpto, quod aliquibus praefigitur Psalmis: " *pro octava.* „

Ita Radulphus Turgrensis, Mabillonius, Alcuinus et Rupertus, quibuscum consentire videtur ipse Gavantus. Videtur tamen, post recentiora studia theutonicae critices scholae, prout et Patrizi et Curci, non amplius licere hac in re nimium immorari, cum sufficienter demonstratum sit, illum titulum, ut et alios, nihil aliud indicare, quam instrumenta, quibuscum cantari debebant ipsi Psalmi, octava autem, reipsa

nomen mutuabat ex octo quibus constabat chordis. Manifestum pariter est, in tam limitato numero octavarum apud Hebraeos, nullimode potuisse characterem distingui alicuius privilegii, quem postmodum habuere, ad cultum catholicum transeuntes, et forte distinguebantur, ad summum, ex maiori minorive solemnitatis gradu.

E Synagoga, in qua festa et octavae typus et figurae erant Promissi venturi, in christianam Ecclesiam translata sunt. Ad eiusmodi morem consolidandum exemplum se addidit ipsius Christi; qui sua praesentia festa decoravit dedicationis Templi, quae *Encaenia* vocabantur, prout et *Scenopegiae* interfuit, festo nempe Tabernaculorum, quae ad dies octo protrahebantur. Hinc Apostoli, Christi exemplo informati, Spiritu Sancto afflati, prout Sancti Patres testantur, hunc morem in novam religionem introduxerunt. Primae sive ob dignitatem sive ob antiquitatem veniunt octavae Paschatis et Pentecostes. Et revera documenta quae supersunt, quamvis posteriora institutione, innuunt tamen usum iamdiu inter communiores existentem. S. Augustinus non modo Paschatis festum, sed et octavam tribuendam esse Apostolis affirmavit, unde a S. Gregorio Nazianzeno *festivitas festivitatum* et *solemnitas solemnitatum* fuit appellatum. Concilium Matisconense II (a. 585) can. 2, ait: " Pascha nostrum in quo Summus Sacerdos et Pontifex pro nobis immolatus est, debemus omnes festivissime colere... ut ..... illis diebus nullus servile opus audeat facere. „ Et Conc. Quinisextum, can. 66: " A Sancta Christi Resurrectionis die usque ad novam Dominicam tota septimana in Ecclesiis iugiter vacare oportet fideles psalmis et hymnis et spiritualibus canticis in Christo gaudentes. „

Synodus Meldensis, excommunicationem indicit in eos, qui octo dies Paschatis non celebrassent, eadem sese exprimunt ratione Concilium Lugdunense, Moguntinum et Ingheleense. Ecclesiasticis ordinationibus concordant et leges civilis im-

perii, feriatos hos dies declarantes. Ita lex 2ª Theodosiani Codiciis *de feriis*: " Sacros quoque paschae dies, qui septem vel praeceduat numero vel sequuntur in eadem feriarum observatione numeramus. „

Canones, uti patet, de solemnitate tantum loquuntur a fidelibus agenda, nihil de divino officio decernentes; attamen et de hoc, manifestum habetur indicium in Missis propriis, pro unoquoque octavae die adsignatis. Hinc etiam postquam Geberardus in Constantiensi Concilio dies feriatos Paschatis et Pentecostes reduxit ad tres et unum respective, in cultus exercitio, hae duae octavae primaevam institutionem haud immutarunt.

Secundum occupant locum octavae Nativitatis et Epiphaniae: " Tanta est, ait Alcuinus, Dominicae Nativitatis solemnitas, ut eam non uno die tantum cum omni maiestate ac pompa celebrare sibi sufficere crediderint maiores nostri, sed quo fidelium devotioni ac pietati facerent satis, sequentes per totam Octavam, imo usque ad Epiphaniam, dies festos adiiciendos esse necessarium duxerint, ita ut ab omni terreno opere relicto toti se Deo, recolendisque eius beneficiis, consecrarent, ac spirituali laetitia animum recrearent. „ Atque ideo Concilium Turonense II, can. XVIII, concedit monachis prandium " quia inter natalem Domini et Epiphaniam omni die festivitates sunt. „

Ordinem sequentes chronologicum post has videntur debere collocari octavae Ss. Apostolorum Petri et Pauli, et sane, ut notat Martène (*De antiqua Ecclesiae disciplina*): " Nonas Iulii in antiquis Sacramentariis Gregorii et aliis notatur octava Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, „ et ad rem verba refert Micrologi: " Iuxta Romanam auctoritatem nullorum sanctorum octavas celebrare debemus, nisi unde certam aliquam traditionem a Ss. Patribus habemus. Eorum quoque quorum octavas celebramus nullam quotidianam mentionem per interiunctos dies agimus, quia nul-

lam auctoritatem inde habemus, exceptis de S. Maria et S. Petro quorum memoriam et alio tempore non cessamus celebrare. „

Proderit hic adnotare. 1°: sermonem esse de octavis absque commemoratione, quod suspicionem ingerit, id de regula generali haud processisse, sed quasdam extitisse privilegiatas; 2° de octavis S. Petri et B. Virginis, quibus peculiariter haec regula applicatur. Quodnam autem fuerit festum B. Virginis eousque celebratum cum octava impossibile est agnoscere; agitur forte de commemorationibus fieri solitis quibusdam statis temporibus; binae namquae octavae, quae hodiedum celebrantur, scilicet Nativitatis et Assumptionis institutae non fuere nisi longe serius, et praecise, prima ab Innocentio IV in Concilio Lugdunensi, secunda autem saeculo XII a Guidone Cenomanensi Episcopo. Octavarum Ss. Titularium discussioni obnoxia est antiquitas; testimonia S. Ephrem et Gregorii Turonensis a Gavanto allata, parum ad rem faciunt, prout observat Thiers, miraculum quippe, quod innuitur, in festo accidit S. Clementis, nihil porro ius tribuit ad affirmandum iam tunc octava praeditum fuisse.

Insequenti tempore, ob maiorem libertatem, qua cultus fruebatur, et ob christianorum fervorem, octavarum numerus succrevit, quamvis non omnes ubique recolerentur. Anno 1314, Guillelmus Episcopus Andegavensis octavam instituit omnium Sanctorum. Felix IV octavam peragendam iussit Dedicationis Ecclesiae. Octavae SS. Trinitatis nonnulli auctorem dicunt Gregorium IV, alii Ioannem XXII, Macrius (*de vocabulis ecclesiasticis*) notat, octavam significare perfectam Sanctorum glorificationem in anima et in corpore; ideoque in festis Domini Ecclesia *non solet celebrare diem octavam*, namque in octava Nativitatis Circumcisio celebratur; in octava Epiphaniae commemoratur baptisma; Pascha octavam producit usque ad Sabbatum, prout et Pentecostes; hoc

autem denotat Salvatorem nostrum iam plene esse gloriosum in anima et corpore. Ascensio tantum octavam perfectam habet, eo quod in ipsa *ultimata humanitatis gloria manifestatur*.

Inquirendum nunc, an et quomodo, aliquae octavae privilegiatae extiterint. Absque haesitatione affirmative respondemus, cum clarissima inveniantur documenta de octavis, et praecipue Paschatis et Pentecostes loquentia, quae nullum produnt indicium de festis, quae ad principale abrumpendum supervenerint. Item dici debet de Epiphania, de qua validum extat argumentum in Missis propriis, pro singulis octavae diebus. De aliis octavis haud possibile est aliquid peculiariter decernere; quoddam habetur interdum vestigium, non tale tamen, quod nos ducat ad tuto rem statuendam. Quod ceterum, supposita particulari octavarum origine, faciliter explicatur, unde nihil aliud remanet, nisi ut plus minusve probabiles opiniones prodantur. Certum tamen est, iam ab origine characterem privilegii proprium fuisse aliquarum octavarum, ex quo alia festa excluderentur.

Aliquid vix innuemus de Ecclesiae graecae usu. Haec modo nullam celebrat octavam; antiquitus tamen certum est in ea celebratas fuisse. S. Basilius Seleuciensis namque, in libro I, de mysterio S. Theclae, c. 18, de iis explicitam mentionem facit, octavum diem *discessum* vocans, quia videlicet in ipso solemnitas terminum habebat, sive *dissolutionem* (ἀπόλυσιν).

II. Quaenam, et quo diverso sensu, in praesenti disciplina, festivitatum octavae dicantur privilegiatae? Quid peculiariter de octava SS. Corporis Christi, sive in universali, sive in particularibus Ecclesiis dicendum?

Diversimode octavae a liturgicis Auctoribus distinguuntur. Gavantus distinctionem refert Radulphi Tungrensis in *maiores* et *minores*, quae distinctio ab antiquioribus Liturgistis retinetur. Hodierni generatim distinctionem admittunt,

quam sequitur Diclich in suo Dictionario Sacro Liturgico, qui octavas dividit in privilegiatas et non privilegiatas: inter illas autem, quae ampliori distinguuntur privilegio enumerat et quae minori; et ad quatuor ideirco reducit classes.

In prima octavas ponit Paschatis et Pentecostes, in quibus celebrari nequit officium alicuius festi etiam 1ae classis, nec commemoratio peragi valet alterius octavae, sed de Sancto solummodo, qui simplici ritu recolendus est verumtamen post tres primos dies, qui ritu 1ae classis recoluntur ac proinde quamcumque commemorationem respuunt. In secunda ponitur octava Epiphaniae Domini, infra quam festum celebrari potest 1ae classis (olim locale solemnius tantum), octava tamen semper commemorata, in officio et in Missa, praeter tamen diem ipsum octavae, quo nec de tali duplici officium persolvi potest. In tertia est octava SS.mi Corporis Christi, de qua inferius loquemur. In quarta demum inveniuntur octavae omnes non privilegiatae, infra quas officium celebratur non modo festi duplicis et semiduplicis occurrentis, sed etiam translati, octava tantummodo commemorata, dummodo festum non sit 1ae vel 2ae classis. Superfluum putamus addere, plures alias octavas privilegiatas esse ex indulto speciali determinatis locis concesso, et hisce in casibus, privilegium limitibus contineri in ipso concessionis documento assignatis, et alias standum esse communi praxi.

Quid peculiariter de octava SS.mi Corporis Christi dicendum? Notum est initium huius festi Leodii factum fuisse; Robertum Episcopum, nisi inspiratorem, fundatorem extitisse, prout Ioanni Lugdunensi deberi octavae institutionem, quam Iacobus Trecensis Archidiaconus S. Martini favore prosequutus est, et cum hic ad supremum Pontificatum assumptus fuit, et Urbani nomen est adeptus, solemniter sancivit ut celebraretur, decreto diei 8 Septembris 1262. Novum incrementum accepit sub Clemente V, qui in Concilio Vien-

nensi, universae extendit Ecclesiae. Succedentibus autem saeculis, ditioribus privilegiis exornata fuit, usquedum hodiernum exciperet locum in S. Liturgia. Eius octava festa tantum admittit ritus duplicis occurrentia, non vero translata, nisi fuerint 1. aut 2. classis. Imo olim, ex Decreto Ioannis XXII Nativitatem tantum admittebat S. Ioannis, et non excludebat festo SS.mae Trinitatis. Peculiares vero Ecclesiae, amplioribus fruuntur privilegiis, ut in longum nimis abiremus ea enumerare volentes: satis ideirco sit illius meminisse, quod Pius VII, Brevi d. d. 23 Augusti 1815 civitati Venetiarum concesit, vi cuius, octava Corporis Christi eadem ratione recolitur qua octava Epiphaniae.

III. Quid, praecitatis Decretis apprime perpensis collatisque inter se, tenendum sit circa diei octavae officium non agendum, quando eadem octava dies intra octavam aliquam privilegiatam incidat, ut in casu?

Conferamus imprimis priora duo Decreta, quae primo intuito tertio contradicere videntur, et pro officio stare. Primum, n. 2611 distinctum, in Asculana, ad petitionem privilegii pro octavis SS. Corporis Christi et Assumptionis Deiparae: " Benigne annuit, exceptis tamen duplicibus 1ae. aut 2ae. classis tam occurrentibus quam translatis, et quoad octavam Assumptionis B. M. V. excepta etiam die octava Festi S. Laurentii Martyris.„

Difficultas in postremis verbis habetur, an extendi possint de casu ad casum? Regulas interpretationis sequentes, dicimus non excedere casum suum: namque si verum est, privilegium strictiorem pati interpretationem, verum est etiam in exceptionibus legislatorem tantum voluisse, quantum expressit; nunc si exceptio ponitur tantum pro festo S. Laurentii, legitime deducitur, hoc et non alia esse excipiendum, alia vero cedere debere. Agitur reipsa de casu particulari, tam in privilegio, quam in octava excepta. Item in Decreto 2688 hoc conceditur: " Festum SS. Trinitatis celebrandum est

ab Alumnis Ordinis Excalceatorum SS. Trinitatis Regni Hispaniae, utriusque sexus Calendario proprio utentibus, tam intra quam extra Hispaniam, cum octava privilegiata, ex occurrentia alterius Festi 1ae. et 2ae. classis tam occurrentibus quam translatis, vel alicuius diei octavae, de quibus faciendum est officium, vel ante vel post Festum Corporis Christi, cum commemoratione octavarum; servatis rubricis „.

Ex hoc quod omnes occurrentes octavae celebrari debeant cum integro officio, nullimode ius tribuitur ad concludendum, in aliis quoque octavis privilegiatis eiusmodi sequendam normam, quinimo contrarium evincitur. Et sane ideo lex peculiarem de hoc mentionem facit, quod ipsa tacente, locum habeat generalis regula. Cum ergo in privilegio nulla habeatur exceptio, octava privilegiata officium excludit octavae occurrentis, et in casu exceptiones, nequeunt ad exemplum trahi, sed ad casum peculiarem restringuntur. Concludendum igitur, tenorem duorum Decretorum exceptionem dicere. Casus revera generalem regulam praesupponunt, cui derogatur, quae regula, utut non explicite tradita, est tamen legitimum consectarium rubricarum earumdem. Et quod hoc in sensu et non aliter interpretari debeant, ex responso confirmatur a S. R. Congregatione dato ad dubium 4, quod legitur in Decreto nuper vulgato, die nempe 24 Maii 1901, sequentis tenoris: " IV. An dies octava alicuius festi habentis octavam incidens infra octavam Corporis Christi, ubi haec octava non est privilegiata ad instar Epiphaniae, sed ita ut quaevis duplicia classica sive occurrentia, sive translata admittat, celebranda sit per integrum officium, vel per solam commemorationem? „ Resp. " Ad IV. Negative ad 1am partem; Affirmative ad secundam. „

Facienda est scilicet commemoratio tantum et non officium. Conferatur animadversio, quam super hoc Decreto *Ephemerides Liturgicae* conscripserunt; satis sit hic simpliciorem et validiorem rationem referre: octava privilegiata

tantum admittit duplicia 1ae et 2ae classis, excludens alia officia inferioris ritus: nunc vero dies octavus per se est duplex minus; excluditur igitur et ipse, vi privilegii.

IV. Pro quibus ex disceptantibus ratio pugnet?

Octava Sancti Titularis nullo privilegio gaudet, diesque octavus duplicis minoris tantum ritu gaudet: octava autem Corporis Christi dicitur in casu privilegiata, ut admittat tantum duplicia 1ae et 2ae classis. Satis est ergo postremum Decretum inspicere, quod adamussim ad casum aptatur, ad concludendum, in octava Titularis fieri non debere de eo nisi commemorationem. Nec aliquid in contrarium demonstrare sunt apta priora duo Decreta, in quibus adversarii insistunt, namque, ut diximus, ex his nihil deduci valet ad octavum diem subtrahendum privilegio alterius octavae. Probatum hinc putamus in hoc et similibus casibus diei octavi infra octavam privilegiatam occurrentis fieri haud posse de primo officium, sed commemorationem dumtaxat.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

(Continuatio n. 5, p. 306).

ADVERTENDUM.

In fasciculo Mensis Maii ex oblivione omissa fuit ultima pars, et non parva, notae (369), ita ut tractatio inexpleta remaneret; hic ergo eam evulgamus.

Suppone casum. In civitate A. die 1 Iulii celebratur solemniter Translatio S. Sabini Mart. ritu duplici primae

classis, prout eodem ritu agunt die 5 Decembris Fratres S. Ioannis de Deo Translationem sui Fundatoris. Ibi perpetuo de die octava S. Ioannis Baptistae fit tantum commemoratio. Quando autem festum Corporis Christi incidit in diem 24 Iunii, necessario eius dies octava accidit eadem die 1 Iulii; hinc in civitate A., cum de duobus diebus octavis ad ritum simplicem redactis facienda sit commemoratio, ita ordinabitur calendarium illius anni in principio mensis Iulii.

Die 30 Iunii..... Vesp. de seq. comm. praec. ac S. Petri Ap. et diei oct. Corporis Christi, nec non diei oct. S. Ioannis, ut in I Vesperis.

Die 1 Iulii. Fer. V. **Translatio S. Sabini** Mart., *dup. I clas*..... com diei oct. Corp. Christ. et diei oct. S. Ioannis in Laud et Mis... Vesp. de seq. com. praec. tantum.

Die 2 Iulii. Feria VI. **Sacratissimi Cordis Iesu** *dupl. I clas.* etc.

Et recte. In Vesperis diei 30 Iunii nulla quaestio in casu; nam sunt integrae de sequenti duplici primae classis, cum commemoratione prima de praecedenti S. Paulo, secunda de S. Petro, quia duo Principes Apostolorum, quomodo *in morte non sunt separati*, ita in cultu semper iunguntur; tertia de die octava Corporis Christi, cuius officium eras ageretur, nisi occurreret translatio sancti Sabini; quarta de die octava S. Ioannis, ob eamdem rationem.

Die vero 1 Iulii, item recte ordinantur Vesperae. Translatio S. Sabini et festum Sacr. Cordis Iesu sunt *secundaria;* ergo in casu praevalet concurrens dignius dignitate personali. Vesperae itaque erunt de sequenti festo Sacr. Cordis Iesu, cum commemoratione praecedentis S. Sabini tantum, scilicet sine commemoratione dierum octavarum Corporis Christi et S. Ioannis. Non de primo (de quo semper facienda esset), quia idem est obiectum festi sequentis; non de altero,

quia de die octava non privilegiata non agitur commemoratio, quando concurrit cum sequenti duplici primae classis.

Sed dices: Secundae Vesperae diei 1 Iulii in casu debent esse de octava Corporis Christi, quae, prout vidimus, non sunt nisi primae Vesperae sequentis festi Sacr. Cordis Iesu. Facile reponimus: Cum de die octava Corporis Christi in casu nil aliud actum sit quam simplex commemoratio in primis Vesperis, in Laudibus et in Missa, *nec etiam convenit habere Vesperas*, uti dicunt Rubricae (Tit XI, n. 10), pro casu aequali.

Vesperae ergo erunt de Sacr. Corde Iesu, prout habentur in Breviario, quando integrae dicendae sint.

Sed, ob abundantiam, suppone alium casum.

Hodie, 1 Iulii, agitur officium diei octavae Corporis Christi, cum commemoratione diei octavae S. Ioannis; cum vero cras occurrat festum Visitationis B. Mariae, Titularis meae Ecclesiae, quae proinde prevalet festo Sacr. Cordis Iesu, sic ordinabo Vesperas in mea Ecclesia: *Vesp. de seq. com. diei oct. Corporis Christi tantum.*

Quia de hac octava fit semper commemoratio etiam in duplicibus primae classis, de die vero octava S. Ioannis nil erit agendum, cum non gaudeat simili privilegio.

In utraque ordinatione Vesperarum, tam in primo quam in secundo exemplo, neminem habemus refragantem ex Rubricarum doctoribus, itaque, dum in civitate A., ubi agitur Translatio S. Sabini, et in Ecclesia dicata Visitationi B. M. V. in secundis Vesperis diei 1 Iulii, non fit tertia commemoratio diei octavae S. Ioannis, reliquis in locis, iuxta litteram Rubricae huius, quam explicamus, esset agenda, quia dicit fieri commemorationem diei octavae eiusdem S. Ioannis *in utrisque Vesperis*. Quid ergo dicendum? Nonne, si vim litterae accipis, agenda esset etiam in civitate A. et in Ecclesia Visitationi dicata?

Candide, non putamus ; quia etiamsi hic locus Rubricarum ad litteram accipiendus esset, rigorose applicari deberet tantummodo in casu, quo revera die 1 Iulii agatur officium diei octavae Corporis Christi, et die 2, festum Cordis Iesu, et non ad alios casus, pro quibus leges generales concurrentiae aperte aliud conclamant. Sed si spiritui Rubricarum bene attendimus, procul dubio, neque in secundis Vesperis octavae Corporis Christi commemoranda erit dies octava S. Ioannis.

Et sane. Antiquum effatum Iuristarum dicit : Distingue tempora et concordabis iura ; distinguamus et nos tempora quibus diversae Rubricae conscriptae sunt, et tota dissonantia inter ipsas prorsus evanescit.

Iam supra innuimus, hunc locum Rubricarum nunquam mutatum fuisse, a tempore S. Pii V usque ad nos ; si vero illum conferimus simul cum aliis Rubricis novissime reformatis, et cum S. R. C. Decretis, quid sit sentiendum in casu facile noverimus.

Et primo. Notandum 7 post Tabellam Occurentiae sic se habet : *Dies octava numquam transfertur ; ideo quamquam Nativitas S. Ioannis Baptistae occurrens in die Corporis Christi transferatur in diem sequentem, non tamen transfertur octava, sed de ea fit tantum commemoratio in officio octavae Corporis Christi.* Ut patet, hic non dicitur faciendam esse commemorationem *in utrisque Vesperis,* quod dici oporteret, si revera haec fuisset voluntas legislatoris ; nihil dixit, ergo huiusmodi Rubrica intelligenda est in sensu iam accepto in aliis Rubricis.

II. Tabella Concurrentiae, sub n. 1, habet: *Quando concurrit duplex maius, vel minus, vel dies octava cum duplici primae classis totum fit de sequenti et nihil de praecedenti ;* atque in subiectis adnotationibus, in quibus quaedam ponuntur exceptiones pro octavis privilegiatis, iuxta Rubricarum generalium praescriptiones, nihil excipitur pro die octava

S. Ioannis in concursu cum duplici primae classis (1). Quod si revera etiam in secundis Vesperis diei octavae Corporis Christi, quae hodie sunt primae classis, agenda esset commemoratio diei octavae S. Ioannis, in 7 adnotando dici debuerat.

III. Rubrica specialis posita in Breviario ante festum Sacr. Cordis Iesu dicit: *Vesperae dicuntur de octava Corporis Christi sine ulla commemoratione.* Particula haec, *sine ulla*, est malignae naturae, aiunt Scholastici, ac proinde in secundis Vesperis, in casu, non est agenda commemoratio diei octavae S. Ioannis, quae in nullo locorum Rubricarum dicitur esse privilegiata.

IV. S. R. C. Decretum, n. 3731 ad 2, supra citatum, declarat, *omittendam esse commemorationem alicuius Sancti eo die ad modum simplicis redacti* in secundis Vesperis diei octavae Corporis Christi, quia revera sunt primae Vesperae sequentis festi Sacr. Cordis Iesu; ergo a pari omittenda est quoque commemoratio diei octavae S. Ioannis in casu; nihil enim est aliud nisi officium duplex ad modum simplicis redactum.

Quapropter, haec quatuor relata momenta optime probant quomodo interpretandus sit hic locus Rubricarum, qui ex hoc ipso quod non fuit reformatus, tot explicationibus indiget, ut recte intelligatur.

(1) Licet in 2° ex notandis dicatur: *Die octava Corporis Christi in secundis Vesperis nulla fit commemoratio sequentis duplicis (Sacr. Cordis Iesu), nisi concurrat cum die octava S. Ioannis Baptistae, et tunc Vesperae erunt de octava Corporis Christi cum commemoratione octavae S. Ioannis;* attamen, ut sapienti lectori clare patebit, hic non loquitur Rubrica de *occurrentia* duarum octavarum, sed de *concurrentia*; dicit enim *nisi concurrat*. Aliis verbis: si octava Corporis Christi *concurrat* cum octava S. Ioannis, tunc haec octava incidit in feriam VI, in quo agitur festum Sacr. Cordis Iesu; et in secundis Vesperis octavae Corporis Christi, necessario fit commemoratio octavae S. Ioannis, quia *concurrit*, et de ea agitur etiam commemoratio in festo Sacr. Cordis Iesu.

(Nunc continuatur nota 310).

Haec nostra sententia et interpretatio plane concordat cum doctrina Guyeti, qui *(lib. 4, c. 12, q. 2)* scribit: *Si ipsamet octava fuerit prima dies libera, fiet in ea de festo translato...* ergo si dies octava impediatur ob officio nobiliori occurrenti, sive sit Dominica maior, sive duplex 1 vel 2 classis, non amplius est *dies libera*, neque in ea celebrari poterit festum translatum.

Quia hic locus Rubricarum, nihil, explicite saltem, praescribit de festo habente octavam impedito, et in die sua octava celebrando, hanc regulam translationis referri sategimus ex S. R. C. decreto n. 3853.

Quaeri vero hic potest, quid sit agendum de diebus infra octavam alicuius festi a sua die translati; et respondemus cum Guieto *(ibid. q. 3)*: "Translato festo cum necesse sit unum aut plures ex iis (diebus infra octavam) supprimi, quaeritur in quos cadat sors eiusmodi? An in primos? An in postremos? Omnino in primos, adeo ut translato festo in proxime sequentem diem, quae secunda erat infra octavam, postridie festi numeretur dies tertia: si vero in tertiam, resecatis secunda et tertia, numerabitur quarta et sic deinceps. Ratio est, quia priores ii dies vere perimuntur a festo, cum postremi perinde atque octavus ipso suo quilibet die consistant. De ipsis vero prioribus diebus festum sic antecedentibus si quaeras: an fieri debeat commemoratio? Respondeo: non; cum enim ipsa tota octava nihil aliud sit quam continuatio festi, absurdum plane esset continuare id quod nondum inchoatum est."

Exemplum rem melius explicabit. In Ecclesia S. Leóni Pp. dicata, quando dies eius 11 Aprilis incidit, puta in Feriam VI infra octavam Paschatis, sic ordinabitur calendarium:

Die 11 Aprilis. Fer. VI infra oct. Pasch.
„ *12* „ Sab. *in albis.*
„ *13* „ Dom. *in albis.*
„ *14* „ S. Iustini M. *dup.*
„ *15* „ S. Leonis I P. C. D. Titul. *dup. 1. cl. cum oct. reducta* (f. 11 huius).
„ *16* „ de VI die infra oct. S. Leonis *sem.*
„ *17* „ de VII die *sem.* com. S. Aniceti.
„ *18* „ Octava S. Leonis. *dup.*

Notandum tamen est, quod si infra particulares aliquas octavas, lectiones II Nocturni omnes sunt historicae, uti ex. gr. Burgi S. Domnini, pro Patrono tunc legendae erunt in casu reductionis dierum infra octavam, iuxta ordinem historiae.

.... *et id semper servandum quando Festum habens octavam transfertur....* quae verba referuntur ad ea quae antea dicta sunt, de occurrentia scilicet duorum festorum octavam habentium, sumpto exemplo occurrentiae S. Ioannis Baptistae cum festo Corporis Christi. Quapropter cum aliquando occurrant eodem die duo festa classica, octavam habentia, quid sit agendum hic docet Rubrica; nimirum, translato festo minus nobili, *non ideo eius dies octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quae alias erat octava,* hoc est, fiat commemoratio illius diei octavae minus dignae, quae alias, si non impediretur a nobiliori, haberet totum officium, *ac si festum non fuisset traslatum.*

Uti cuique patet, hic agit Rubrica de impedimento accidentali tantum, non de perpetuo; nescimus ergo quomodo nonnulli ex liturgicis scriptoribus octavam negant festis perpetuo impeditis. Sed de hoc infra dicemus. Ritus vero Ordinis Praedicatorum rubricam habet: *quando festum habens octavam transfertur, transferatur quoque octava;* quod agitur tam in impedimento accidentali, quam in perpetuo.

In casibus huc usque productis, suppositum fuit festum ipsum, octavam habens, esse impeditum; supponamus

nunc, non festum sed eius diem octavam impediri a nobiliori officio, ut si octava dies s. Georgii Patroni incideret in Dominicam III post Pascha, in qua celebrandum est Patrocinium S. Ioseph.

Certo certius dies octava non debet transferri; neque potest, quia iam non esset octava sed nona. Sed in hoc casu poteritne anticipare? Guyetus *(lib. 2, c. 5, q. 3)* dicit plurium Ecclesiarum in Galliis usum fuisse; imo notat: " in antiquo calendario Ambianensi pro octavis Epiphaniae et S. Firmini sic anticipatis scriptum reperi: *Septava Epiphaniae, Septava S. Firmini;* " sed concludit hunc usum non esse inducendum, quia prorsus novum, et Rubricas Breviarii Romani contrarium, iuxta quas, ut suo loco dictum est, de die octava impedita fit tantum commemoratio.

Procul dubio, eo quod dies octava *intransferibilis* est, praevalet in occursu duplici maiori, licet ritu gaudeat tantum duplici minori.

(371) *Quod si festum post totam suam octavam transferri contigerit, illo anno celebratur sine octava.* Clarius habetur in notandis ad tabellam occurrentiae n. 7: *dies octava numquam transfertur;* sed, ut iam diximus, Rubrica loquitur de impedimento accidentali, dicit enim: *illo anno celebratur sine octava.* Nihilominus liturgici auctores hunc locum Rubricarum interpretabantur etiam de impedimento *perpetuo.* Sit pro omnibus De Herdt in sua prima editione *(p. 4, n. 33)*: " Si festum sive accidentaliter, sive perpetuo transferatur post totam suam octavam, ... celebratur sine octava, nisi speciali privilegio aliter fieri liceat. " A Carpo autem idem tenet, quasi iisdem verbis *(p. 2, n. 19),* sed alibi *(p. 1, n. 307)* sibi contradicit docens: Titulare perpetuo translatum servare octavam, citans S. R. C. decretum 12 Augusti 1854 in *Lucionen.* quod numquam inter authentica editum fuit.

Sed et S. R. C., primum non distinguens inter festa *accidentaliter* vel *perpetuo* impedita, semper negabat octavam

quando transferabantur post eam, ut videndum est in decretis 16 Septembris 1741 ad 1, n. 4122, et 1 Septembris 1866 n. 5370. antiquae collectionis, quae ex nova editione sunt expuncta.

Nunc vero S. R. C. quaestionem hanc e medio detulit ut videre est in duobus suis decretis, 12 Iulii 1889 n. 3714 ad 3, et 20 Iunii 1899 n. 4034 ad 2.

In primo edixit, quod in locis ubi *perpetuo* festum Titularis s. Christophori M. affixum est diei 27 Iulii, eo quod dies eius natalitia impediatur a S. Iacobo Apostolo Patrono nationis, octava eiusdem s. Christophori similiter affigenda est non die 1 sed 3 Augusti; ergo cum *perpetuo* reponitur festum habens octavam, dies etiam octava celebratur, octo post dies, scilicet octava quoque reponitur.

In alio decreto, n. 4034, ad dubium 2: " *Si accidat ut Titulus Ecclesiae vel loci Patronus transferri debeant ad aliam diem, quaeritur: Num respective octavam servabunt?* Respondet: *Affirmative si agatur de translatione perpetua, secus negative.* Nil clarius; ideoque non solum Titulus Ecclesiae, quasi ex privilegio de quo loquitur Rubrica paulo infra, sed et Patronus loci, licet celebrentur *perpetuo*, extra eorum sedem in alio die assignatam, ius retinent ad eorum octavam perfectam.

Hinc, et imo magis, Dedicatio etiam Ecclesiae hoc idem ius, ut credimus, habebit, eadem ratio enim militat in casu.

Hoc advertant, ex. gr., Rectores Ecclesiarum, quae Titularem habent S. Zenonem Ep. die VIII Decembris occurrentem; cum enim, antequam Immaculata Conceptio B. M. V. ad ritum primae classis primique ordinis elevaretur, Titularem ipsum die VIII Decembris celebrarent, postea id fieri nefas fuit, cum s. Zeno sit duplex 1 classis secundi ordinis. Sanctus porro Titularis, nunc colendus erit die IX Decembris, et eius octava dies XVI erit.

Et sane; si verba huius Rubricae, quae dicit: *Octava nunquam transfertur* intelligi deberent, non de sola transla-

tione *accidentali*, sed de *perpetua* quoque repositione, hoc grave inconveniens obveniret, quod Titulus Ecclesiae, et loci Patronus, in casu perpetuo impedimenti, nunquam gauderent iure suae octavae, quod a Rubricis eis tribuitur. Iustissime ergo, S. R. C. quaestionem diremit, et iuribus horum festorum, quae tanta solemnitate celebrantur opportune providit.

Non est hic dissimulanda quaedam difficultas, quam aliquis nobis opponere posset, ex alio S. R. C. decreto, die 13 Decembris 1895 lato, et in nova editione inserto, sub n. 3876. Ad IV enim dubium respondet: " *quum die 8 Septembris faciendum sit de s. Hadriano Mart. Ecclesiae Titulo, die 9 eiusdem mensis fiat de Nativitate B. M. V. absque integra octava, prout Romae fit in Diaconia s. Hadriani.* Ergo in hoc casu Nativitas B. M. V. quae *perpetuo* celebranda est die IX Septembris, non habet amplius, in Ecclesia S. Hadriani perfectam octavam ; scilicet perpetuo reponitur sine repositione diei octavae.

Cum hoc decretum, datum sit anno 1895, et aliud a nobis relatum anno 1899, dicendum est, hoc non illud vim habere maiorem. Sed ex locutione eiusdem S. R. C. responsionis, videtur noluisse sacrum Tribunal, in casu proposito, aliquid detrahere antiquae consuetudini Diaconiae S. Hadriani in Urbe. Cum enim, prout vidimus, antiquitus negabatur perpetua translatio octavae Titularibus Ecclesiae, usus invaluit in illa Diaconia, quod Festum s. Hadriani ageretur die sua natalitia VIII Septembris, et die IX Nativitas B. M. V. ac die XV octava dies Titularis cum commemoratione diei octavae Nativitatis. Hanc consuetudinem, perantiquam, servandam esse maluit S. R. C., indulgendo quoque, ut die IX, licet impedita a duplici minori, celebraretur Nativitas B. M. cum repositione eiusdem festi duplicis, ut in citato decreto dicitur. Nihilominus ex hac dispositione nullum argumentum sumi potest, contra novam legem quia in Indice decretorum, a S. R. C. adprobato, refertur huiusmodi decretum, et additur: *hoc autem est speciale indultum.* Ergo ....

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

(*Continuatio.* V. num. 5, pag. 314-320).

§ VIII. Si tenga, durante l'Esposizione, alla porta della Chiesa, per la parte di dentro o di fuori, come tornerà più comodo, un tappeto, che faccia forma di bussola, con spazio adequato alli lati, per comodità del popolo, e sia talmente posto, che non possa mai dalla strada vedersi il Santissimo Sacramento.

§ VIII. Durante Expositione, ad Ecclesiae portam, sive ad intra sive ad extra, prout commodius erit, appendatur tapetum in sepimenti forma, cum aliquo tamen spatio a lateribus, pro populi commoditate, illudque ita disponatur, ut a via numquam possit aspici Sanctiss. Sacramentum (24).

(24) Valet huiusmodi dispositio pro iis Ecclesiis, quae ad ianuas, nullum fixum habent munimentum, sive septum ligneum cum lateralibus ingressibus, aut saltem crassius velarium, sive stoream, quo tum a via conspectus abscondatur Altaris, tum ipsa Ecclesia ab aeris inclementia custodiatur. Item consulto ponitur eiusmodi tapetum ad ingressum lateralis Sacelli in quo, peculiari ex ratione, habetur expositio, ac pariter ante aliquod Altare, quod e conspectu, vel quasi, sit illius, in quo habetur expositio, ne cum Missae celebrantur in illo, debita Sacramento subtrahatur reverentia. Ex

identitate rationis apponi quoque debet ante aliquam insigniorem Imaginem, quae cultum excipit singularem; prout fit ex. gr. Romae ad S. Augustini, ad locum tegendum, quo fideles ante Deiparae statuam orare consueverunt, e conspectu maioris Altaris existentem.

§ IX. Siano di continuo uno o due Sacerdoti, o almeno in altro Ordine sacro costituiti, se si potrà, vestiti di cotta (benchè siano Regolari), genuflessi avanti un banco, ricoperto con tappeto o pannò rosso o d'altro colore e qualità decente, vicino all'infimo grado dell'Altare, e mai sopra genuflessorî, orando tanto di giorno, quanto di notte a vicenda. Dove sarà qualche Confraternita, vi assistano due confratelli almeno, avanti un banco coperto di panno verde o di altro colore decente, parimenti a vicenda, ma fuori del Presbiterio e distanti dagli Ecclesiastici suddetti, ed oreranno con tutta devozione, per edificazione degli astanti, e con voce sommessa, per non causare distrazione negli altri.

§ IX. Per vices adsint continuo singuli aut bini Sacerdotes, vel saltem alii in alio sacro Ordine constituti, si fieri potest, superpelliceo induti (etsi Regulares sint), orantes diu noctuque, genuflexi (25) apud aliquod scamnum, tapeto pannove rubro aut alterius coloris et decentis qualitatis coopertum prope infimum Altaris gradum, numquam supra gexuflexoria (26). Ubi existit aliqua Confraternitas, suis vicibus pariter assistant saltem bini confratres (27) ad scamnum panno viridi, alteriusve decentis coloris coopertum, sed extra Presbyterium, atque a dictis Ecclesiasticis distantes (28), et cum omni devotione, in adstantium aedificationem orent, et submissa voce, ne ceteris distractionem afferant (29).

(25) Haud sane decet Regem regum et Dominum dominantium in sua pompa manifestari ullo absque suorum

Ministrorum comitatu et famulatu; hinc merito iubetur, ut unus saltem ex *sacris* Ministris coram Sacramento adstet continuo, et in casu impossibilitatis, saltem aliquis alius ex *inferioribus* ordinibus Clericorum.

Non tamen credimus, extra Urbem saltem, ita accipiendam esse hanc sanctionem, ut non liceat Sacramentum expositum manere absque Clericorum adsistentia. Qui sane fieri potest, ut ubique tanta inveniatur copia Clericorum, qui tot horis adorationi incumbant? Et revera, si in alma Urbe haec disciplina, Clericorum defectu, relaxata fuit, adeo ut hodie admittantur eorum loco laici adoratores sacco induti (" *Circolare* " *19 Apr. 1891*), eo magis id praestari poterit in locis, ubi unus tantum, aut pauci inveniantur Sacerdotes, vel inferiores Clerici.

Sed et laicorum, de quibus supra, defectu, satis esse autumamus, si nonnulli, quicumque sint, fideles adsint in Ecclesia: 1° quia inconveniens id non videtur, ubi deficientia Clericorum nota est; 2° quia lex nulla generalis istiusmodi Clericorum assistentiam praecipit; 3° quia nemo contra hanc praxim plerisque in locis existentem unquam insurrexit; 4° quia in casu expositionis permanentis, laudatur a S. Rituum Cong.ne assistentia Clericorum continuo orantium (in *Brixien*, 17 Aug. 1833, n. **2709**, ad 2), sed non praecipitur; ex hoc ergo quod existens consuetudo probatur, haud sequitur damnandam esse consuetudinem contrariam. Si igitur comprobetur hic Clericorum et laicorum sacco indutorum defectus, ne Sacramentum adoratoribus careat, optime insinuabitur praxis, quam tradit cl. Bauldry (*Manuale Ss. Caeremoniarum, P. IV., Cap. 16, Art. 11, IX*): " Praeterea multum decet, si commode fieri potest, ex ipsa doctrina Clem. VIII, praesertim in Parochialibus Ecclesiis, ut populus invitetur per schedulas a Rectoribus, aut aliis deputatis, qui singulis familiis suam horam designent. "

Canonici et Beneficiarii *cogi* nequeunt, ut orent ante SS.mum Sacramentum, praesertim cum alii praesto sunt Sa-

cerdotes liberi, qui eiusmodi orationi vacare queant tempore divini Officii, sed *decet* ut hoc faciant (S. R. C. in *Templen.*, 12 Ianuar. 1878, n. **3438**, ad VI).

Redit hic quaestio, de qua sub n. (21) egimus, an Clericorum nomine intelligi queant laici clericali habitu induti, et hic quoque affirmative generatim respondemus; sed, cum munus istud, ab illo de quo tunc sermo erat, aliquatenus differat, eo quod scilicet hoc in casu, magis actio sacri ministerii sit propria, quatenus publicae orationis officium importat, severiori ratione incedendum hic esse concludimus.

Quod dicitur: *superpelliceo induti*, ita rigorose accipiendum est, ut nulla ratione contrarium retineri valeat id autem probatur ex hoc, quod casus consideratur in Instructione ipsa de *Regularibus*, qui, etsi alias in Presbyterio possint manere habitu religionis induti, absque superpelliceo, hic tamen ad istud induendum omnino adiguntur, et alibi arcentur confratres solo sacco induti a Presbyterio. Quinimo, si Canonicis et Beneficiariis *absque superpelliceo* et in habitu communi Choro interesse quibuscumque de causis interdicitur (S. R. C. in *Salten.*, 2 Maii 1871, n. **3250**, ad 1), a fortiori, sive Clericis sive laicis prohibendum est, ne intra Presbyterium sic maneant, tempore expositionis divinissimi Sacramenti. Hinc perperam in nota latina versione Instructionis in vulgus edita verba: *si fieri potest*, quae ad Clericos referuntur, *in sacris* constitutos, ad alia relata sunt: *superpelliceo induti*.

Orantes, intellige seu mentaliter seu submissa voce, ut dicitur inferius de confratribus, ob adducendam rationem.

Diu noctuque. Assistentia Sacerdotis aut alterius requiritur etiam de nocte, reverentia enim Sacramento debita minuenda non est etiam ianuis clausis, ut per se patet (Recolantur quae dicta sunt in *Praenotandis*, de adscriptis *Adorationi nocturnae*, quoad locum et habitum).

Genuflexi, non alius quippe decet modus orandi, illo presente *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Coloss. II, 9). I. B. M. c. M.

(Continuabitur).

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Urbe.* **Superior legens lectionem in Choro, an ab inferiori benedici debeat.** — Apud comunitatem quamdam, in recitatione officii tam in interiori Cappella, quam in Choro externae Ecclesiae, primae sex lectiones Matutini leguntur a iunioribus per ordinem; VII vero a Vice-Superiore, VIII a Superiore ipso, IX ab Officiante.

Quaeritur, an Superior debeat petere benedictionem cum *Iube Domine*, vel cum *Iube Domne;* et an possit sibi ipsi Superior, vel illi debeat Officians benedictionem impertire.

Resp. In N.° mens. April. pag. 262, iam huic quaestioni, generaliter responsum dedimus negativum; nunc vero novo quaesitui latius respondemus.

Ante omnia observandum est, usum legendi sex primas lectiones a iunioribus, et tres ultimas a dignioribus, nisi litterae, certe spiritui cohaerere Caeremonialis Episcoporum *(lib. 2, c. 5, n. 4)*, in quo legitur: *Primae sex lectiones a totidem Canonicis iunioribus, incipiendo a iuniore....: septimam vero et octavam cantabunt hi, qui futuri sunt Assistentes a lateribus Episcopi, in Missa, nona vero et ultima lectio dicetur ab ipsomet Episcopo.* Quod observandum esse omnino, pluries decrevit S. R. C. decretis suis n. 349 et 3108 ad 8.

Ex quo probe noscitur ultimas tres lectiones a dignioribus legendas esse; ac proinde usus de quo in casu omnimode adprobandus est, eo vel maxime, quia eadem S. R. C. in suo recentiori decreto d. d. 14 Dec. 1894, n. 3840 ad 2, non solum edixit servandum esse Caeremoniale, sed addidit: *et diebus haud solemnibus servetur dignitatis ordo ita ut le-*

ctiones 1 Nocturni ab Acolythis; 2 a Beneficiatis; 3 demum a Canonicis recitentur.

Ergo summopere laudandus usus de quo hic agitur. Inquirens autem, reputans non decere Praelatum a subdito benedici, an petere debeat et accipere benedictionem ab Officiante expostulat. Facile est responsum.

Distingui enim oportet inter Praelatum episcopali charactere insignitum, et Praelatum non Episcopum. Si Superior est ordinatus Episcopus, tunc melius est, nos censemus, ut tam in Choro Ecclesiae, quam in Cappella interiori, a legendis lectionibus se abstineat; sed si legere vellet VIII, vel quando celebrat legit IX, tunc, ut praescribit Caeremoniale *(ib. n. 9.)* dicere debet: *Iube, Domine, benedicere,* et non *Iube. Domne,* cui absolute respondetur per Chorum *Amen.* Scilicet nemo ex Presbyteris potest Episcopo benedicere, ideoque, postquam Episcopus lectionem lecturus, benedictionem petiverit a Deo, *Iube, Domine*, non vero *Domne* dicens, Chorus respondet *Amen.*

Ad rem facit S. R. C. decretum 11 Decembris 1773 n. 2498 ad 2, in quo declaratum est, quod Canonicus, licet sit in *dignitate* constitutus, non potest benedictionem dare uti Superior in Choro, officianti, quando non sit ordinatus Sacerdos. Non licet enim clerico, vel etiam diacono, etsi *dignitate* externa superiori, benedicere Presbytero, qui ei in ordine superior est. Ita de Sacerdote dicatur respectu Episcopi.

Quando vero, et ut plurimum accidit, Praelatus seu Superior, episcopali dignitate non fulget, tunc iuxta solitum et ipse benedictionem petit et accipit ab Officiante, vel si ipse Officians sit, a digniore sacerdote de Choro.

Hoc probatur ex praxi omnium Cathedralium, in quibus cum 1.a dignitas lectionem legit, illi dignior Sacerdos de Choro benedicit. Quod pluries a S. R. C. sancitum est, scilicet *(die 26 Ianuarii 1658, n. 1050):* prima dignitas, sive

Superior in casu nostro, cantaturus lectionem, dicere debet *Iube, domne;* et *(die 15 Februarii 1659, n. 1108)* declaravit quod Chorus absque benedictione non debeat respondere *Amen*, sed prima dignitas benedictionem accipere debeat; ac tandem *(die 11 Ianuarii 1884)* rescripsit tollendum esse abusum legendi lectionem IX a Superiore Chori, et VIII ab Hebdomadario, cui ultimo lectio IX competit.

Hinc clare patet, quod Superior, si sacerdotali tantum charactere insignitus sit, quacumque alia fulgeat, etiam dignitate abatiali, semper petere et accipere debeat benedictionem, more solito, et nullimode eius dignitati fit iniuria, cum ipse Sacerdos, ab alio Sacerdote benedicatur.

Hanc solutionem eo libentius damus, quia in Choro Basilicae Montis Cassini, pluries audivimus R.mum Abbatem benedictionem petere et accipere a Priore Monasterii.

Praxis ergo huiusmodi, in loco a quo omnes fere Abbates sumpsere principium, in tuto ponit omnino resolutionem nostram.

II. *E Gallia.* **De hypothetica contradictione inter Rubricam quamdam et Decretum 3667 ad 1.** Quando quatuor tantum hebdomadas habet October mensis, nonne contradictio est inter Rubricam feria V infra hebdom. IV Octobris positam, et Decretum S. R. C. 3667, ad 1 ? Namque iuxta Rubricam, absque distinctione omittendae sunt lectiones, quae diebus impeditis legi non possunt; iuxta autem Decretum, feria VI legi debent lectiones Dominicae quintae, si feria V occurrit festum habens lectiones proprias.

Resp. Rubrica citata non dicit, absque distinctione omittendas esse lectiones, quae diebus impeditis legi nequeunt. Dicit tantum, impeditis feriis V, VI et Sabbato hebdomadae quartae Octobris, pro lectionibus in dictis feriis assignatis, has easdem lectiones esse omittendas. Omitti autem hae lectiones debent, quia in praefatis feriis, cum hebdomada quarta supponatur ultima mensis Octobris, recitandae sunt

lectiones Dominicae V, feriarumque II et III sequentium, quae lectiones martyrium continent Eleazari et Matris Machabaeae cum suis septem filiis. Inde Rubrica ait, quinque supponens in mense Octobri Dominicas, si praefatae lectiones, martyrium respicientes Eleazari et Matris filiorumque Machabaeorum, impediantur in feriis, quibus assignatae sunt, ponendas eas esse in aliis feriis sequentibus, quamvis pro iis assignatae non sint, iuxta tamen ordinem historiae et martyrii.

Hoc Rubrica docet: quid vero Decretum 3667 ad 1? Quatuor supponit hbdomadas in Mense Octobri, et supponit etiam feriam V hebdomadae quartae habere lectiones proprias, ut proinde pro lectionibus *Igitur Eleazarus* sit impedita. Hoc posito, quaerit: " Quaenam lectiones legi debeant feria VI? Anne lectiones Dominicae quintae, vel lectiones feriae secundae eiusdem hebdomandae quintae Octobris? „ Responsum est autem: " Affirmative, ad primam partem: Negative, ad secundam. „ Hoc autem nihilque aliud, Rubrica posita, respondendum erat. Siquidem Rubrica vult, ut teneatur ordo et historia Martyrii Machabaeorum: hoc autem significat, lectionem primam, quae velut *Incipit* aequivalet, omittendam non esse, sed omnino dicendam. Secus lectio prima esset, *Mortuo itaque etc.*, et neque ordo, neque historia teneretur contra Rubricam.

Verum est itaque, omittendas esse lectiones, quae diebus impeditis legi nequeunt; sed lectiones, quae in casu omittendas Rubrica docet, sunt assignatae pro feriis V, VI et Sabbato Dominicae quartae Octobris, quando sit ultima mensis, ut loco earum ponantur assignatae pro Dom. quinta Octobris et pro sequentibus feriis II et III. Sicut autem lectio *Igitur Eleazarus* velut *Incipit* consideratur, ea, etsi impedita, omitti non debet; adeo ut, omissa in feria V, quia impedita, poni certo debeat in feria VI, ut Rubrica adimpleatur et ordo servetur.

Ceterum, cum mens sit Ecclesiae ut memorabilis et mirabilis historia martyrii Machabaeorum omnino legatur; et cum, ut diximus, lectiones Dom. V Octobris feriarumque duarum sequentium habendae sint velut *initia*, non est obliviscendum aliud decretum 27 Martii 1779, n. 2514, ad 3, confirmatum in recentiori 28 Iunii 1886, n. 3665, ad 2, quo decernitur: *Cum ob multitudinem officiorum habentium lectiones 1 nocturni proprias vel de communi non remanent dies pro recitandis Initiis, Initia dicenda sunt in officio duplici habente lectiones proprias vel de communi.*

Item alio decreto 11 Martii 1871, n. 3237, ad 3, S. C. edixit, cum Initium libri Esther legi non possit alia die, legendum esse in festo S. Hieronymi, omissis lectionibus de doctoribus.

Quapropter meminerint calendariorum redactores dispositionis horum decretorum, et quando opus sit, deserant potius lectiones 1^i^ Nocturni de communi quam huiusmodi Machabaeorum admirandae fortitudinis historiam.

III. *Ex Utino.* **De Missa celebranda in festis translatis in Dominicam sequentem.** — In Ecclesiis dioecesis B. in Italia solemnitas Titularis celebratur in Dominica infra Octavam; et a S. R. C. obtentum fuit Indultum celebrandi ea Dominicam Missam votivam solemnem de Titulari.

Quaeritur: huiusmodi Missae solemni applicandae sunt regulae in decreto n. 3754 pro solemnitate festorum transferenda datae, vel regulae in decreto n. 3365 ad 4 pro Missa votiva solemni extra diem propriam ex Apostolico Indulto?

Resp. Ante omnia adnotari oportet, quod decretum 2 Decembris 1891 N. 3754, applicari nequit nisi in locis ubi viguit et viget indultum Cardinalis Caprara d. d. 9 Aprilis 1802, et 1 Iulii 1804. Id eruitur ex ipso decreto Num. 3754, quod incipit: *Cum post indultum reductionis festorum concessum Reipublicae Galliarum Territorio per Em. Legatum Caprara* etc.

In aliis ergo regionibus, nullimode induci possunt praescriptiones huiusmodi decreti, neque de casu ad casum accommodandae. Cum porro quaestio nostra respiciat Ecclesias dioecesis B. in Italia, in casu invocatur huius decreti 3754 dispositio.

Neque dicatur quod pro dioecesi B. obtentum fuerit a S. R. C. indultum celebrandi Missam votivam solemnem de sancto Titulari in sequenti Dominica; quia etiam talis indulti existentia supposita, ut decretum n. 3754 pro Ecclesiis dioecesis B. invocari posset, oporteret quod explicite illi concessae essent conditiones et clausulae in Indulto Card. Caprara contentae. Etenim, tam in hoc indulto, quam in decreto n. 3754 id explicante, habentur nonnullae dispositiones, quae sunt contrariae Rubricis, ac propterea vim habent *privilegii*, tantum pro locis ubi sunt concessae.

Et reapse; n. II. dicitur, unicam Missam, more votivo, canendam esse de solemnitate translata, et additur: *ubi tamen non adsit Missae conventualis obligatio addatur sola commemoratio sub distincta conclusione, eiusque Evangelium in fine.* Quod revera accipiendum est uti privilegium, pro Ecclesiis Galliarum, in quibus viget indultum Card. Caprara; quia id contrarium est legibus et usibus acceptis, et decreto generali 35 Iunii 1896 n. 3922, in quo ad § II n. 2, legitur: *Ceterum in Missis votivis solemnibus unica dicenda est oratio, etsi una tantum cantetur Missa, ut accidit in Ecclesiis ubi onus Missae conventualis non existit.*

Ratio patet, quia in Ecclesiis parochialibus ubi canenda sit Missa de S. Titulari in Dominica sequenti, aut in tali Dominica una tantum Missa celebratur, aut duae, aut plures. Si una tantum Missa habeatur, haec omnino respondere debet officio diei, est enim parochialis, *pro populo* applicanda. Ad summum tunc tolerari fortasse poterit ut huic Missae addatur commemoratio de sancto titulari, cuius agitur a populo festum translatum.

Si vero saltem duae Missae celebrantur, tunc una Missa item sit officio diei conformis omnino, pro populo applicanda, altera autem erit canenda de sancto Titulari, sine ulla commemoratione et cum Evangelio S. Ioannis in fine. Fictione enim iuris, Missa parochialis, quae celebratur officio diei conformis, locum tenet Missae conventualis; applicatur *pro populo*, et ideo rationem habet Missae revera conventualis, totius paroeciae. Sicut ergo in Ecclesiis cum choro, Missa conventuali non omissa, alia cantatur votiva sine ulla commemoratione, item a pari in parochialibus duas Missas habentibus. Si tandem plures habeantur Missae, aliae Missae lectae, sint de officio diei, permittitur enim una tantum votiva Missa de Sancto translato.

Videantur decreta n. 3918 et 3960, in quibus permittitur quidem Missa votiva solemnis de S. Aloysio, et de SS. Corde Iesu, dummodo tamen: *numquam omittatur Missa conventualis vel parochialis, officio diei conformis.*

Hinc clare patet applicandas esse in casu regulas decreti n. 3365 ad 4, cum quibus plane cohaeret responsio nostra hic data.

IV. *E Treviris.* **De diebus impeditis pro Missa cantata post acceptum nuntium de alicuius obitu.** Missa in cantu post acceptum nuntium de alicuius obitu estne licita in feriis, vigiliis et octavis, si eae privilegiatae sint?

Resp. Ante omnia notandum venit. Decretum in *Romana* num. 3944 ad rem nostram non facere. Ratio est, quia eiusmodi Decretum, uti videre est, a primo ad ultimum Dubium, verba facit de solis Missis de requie *privatis*, de quibus verba fecerat anterius Decretum *Aucto*, videlicet de iis Missis *privatis*, quas licitas edixerat S. R. C. in die et pro die obitus. At casus nobis propositus non agit de Missis *privatis*, sed de Missis *cantatis*. Licet ergo Decretum praefatum in *Romana* aperte declaret, Missas privatas de requie, quas Decretum *Aucto* in die et pro die obitus permittit, pro-

hibitas esse in illis diebus, qui duplicia I cl. excludunt, uti, ex. gr., in feria IV Cinerum, nihilominus ex eo non sequitur iisdem diebus prohibitam esse etiam Missam, quae cani potest post acceptam de alicuius obitu notitiam. Quod enim disponitur a S. R. C. de Missis lectis, ad Missas cum cantu extendi non potest. Ex eo proinde capite deduci nequit utrum Missa cantata post acceptum nuntium de alicuius obitu sit nec ne prohibita in diebus, qui licet duplici inferiores, duplicia tamen etiam primae classis excludunt.

Ratiocinemur, et legem imprimis statuamus, prorsus certam et explicitam, quae sic sonat: " Denique eadem Missa *(die aut pro die obitus)* celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum, vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, die quae prima occurrat, non impedita a festo duplici primae et secundae classis, vel a festo de praecepto: quo etiam in casu Missa dicenda erit ut in die obitus (*Decr. 3755. III).* „

Ergo: *a*) Missa, quae canitur post acceptam alicuius obitus notitiam, semel tantum celebrari potest, et non pluries, uti accidit de aliis Missis privilegiatis, quae fiunt diebus III. VII. XXX et anniversaria, cum cantari hae valeant singulis annis. Ergo: *b*) Haec Missa magis assimilatur Missae diei obitus, quam reliquae, quippe quae et semel et uti in die obitus dicenda est. Ergo: *c*) Non mirandum, si haec Missa ampliori, quam aliis privilegio gaudeat; quia esse potest Missa unica, eique facile substitui, quae in die obitus cantari potuerat, sed potuit variis de causis omitti: unde dicitur " pro prima tantum vice post obitum. „ Ergo: *d*) Consequenter, iure hanc Missam S. R. C. maiori potuit, quam alias, privilegio ditare: adeo ut, sicut Missa diei obitus a solis duplicibus I cl. et quidem solemnioribus impeditur, haud vero ab aliis diebus, qui dicta duplicia excludunt, ita haec Missa, de qua agimus, a solis duplicibus I et II cl. festisque de praecepto, non vero ab aliis diebus, qui haec eadem duplicia excludunt, impediatur.

Iam nunc, ita ne revera res se habet? Reponimus affirmative, Decretis attentis, quae hucusque vulgata sunt. Sequentia enim perpendenda necessario veniunt. 1. Dispositiones super hac Missa privilegiata aliquid novi habent, ut ius recens constituant ab antiquo diversum. Certum est enim, seu ex auctoribus, qui ante praesentem aetatem scripserunt, seu ex Decretis antiquis, nunc vero expunctis, Missam post nuntium habitum de alicuius morte reputatam fuisse privilegiatam, nec plus nec minus, sicuti alias, quae licite cani poterant diebus III, VII, XXX et anniversaria. Sicuti autem istae non solum diebus duplicibus I et II cl. vetitae erant, sed etiam diebus, dicta duplicia excludentibus, ita quoque illa, quae post nuntium de alicuius obitu acceptum cantari poterat. 2 Verum post Gen. Decretum 3755, III, res mutata est, donec saltem aliter disponat S. R. C. Etenim in eo Decreto Missa eiusmodi ut in die obitus dicenda praescribitur, et festo dup. primae et secundae cl. declaratur impedita, sicut et festis praeceptivis, sed de diebus dicta duplicia impedientibus altum silentium servatur. 3. In recentibus aliis Decretis habetur quidem specialis norma pro diebus III, VII, XXX et anniversaria, eos scilicet impediri, quod Missam attinet, etiam a diebus aliis, qui dicta duplicia excludunt; sed de hac Missa nullo modo verba fieri ab iisdem Decretis, ut proinde ab iis diebus eam quoque impediri, qui praefata duplicia excludunt, argumentum credendi non suppetat. 4. Ipse Index in nova Collectione plures distinguit Missas de requie, nempe exequialem de die obitus, de diebus III, VII, XXX et anniversaria, et de Missis privatis; et distinctionem peculiarem ponit secundo loco pro Missa post acceptum nuntium de alicuius obitu. Exinde inferri iure potest, proximius eam ad Missam exequialem accedere, ab aliis esse diversam, et potioribus, quam alias, exequiali excepta, gaudere privilegiis. 5. Arroges, hoc idem sensisse Academiam Liturgicam Romanam in Conventu habito die 30 Maii 1900, uti constat

ex Dissertatione a Rev. Dom. Angelo Andreoli elucubrata, in qua et notandum, diem huiusmodi Missae vocari " diem *Quasi-obitus:* „ quae profecto superius exposita confirmant (V. *Ephem. Liturg.* 1900, pag. 599, II).

Hisce omnibus singulisque perpensis, arbitramur, sententiam Rindfleisch in suo Opere *Die Requiesmessen*, sicuti et Doctoris Bruner, praesenti iuri liturgico apprime respondere. Non tamen diffitemur, momenta non deesse, ex ratione liturgica illata, queis opposita sententia defendi posset. Nihilominus, donec S. R. C. aliter decernere non velit, sententia cui favimus, optimo iure sustinetur. Hinc ad propositum dubium respondere cogimur: Affirmative, hoc est: Missa cantata de requie, locum habens post acceptum e locis dissitis nuntium de alicuius obitu, quamvis non liceat in duplicibus I et II cl. festisque de praecepto, licet tamen in aliis diebus, qui praefata duplicia respuunt, videlicet in feriis, vigiliis, octavisque privilegiatis.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Arequipa in Peruvia.* Habitus Protonotarii Titularis est quidem nigri coloris; forma eius omnino habitui Praelatorum conformis. Ex rigore igitur nullo ornatu coloris violacei decorandus erit.

Nihilominus, manteletum nigrum quod adhibent in Italia nonnulli Vicarii Generales, est sericum, cum oris et reflexis pariter sericis, sed violacei coloris. Hoc tamen ex privilegio peculiari procedere dicendum est, cum habitus Vicarialis, quem *Caeremoniale Episc.* supponit, dum lib. 1, c. 13, n. 12 Vicario gen. dat locum in Choro, sit, iuxta Decretum **1845,**

subtana cum mantello talari et bireto, nullimode vero vestis caudata cum Rochetto et Manteleto. Quod si Vicarius esset Protonarius Titularis, extra Urbem dumtaxat cum praelatitio habitu, etiam in Choro incedere valere (servatis servandis).

Dico extra Urbem, quia in Curia Romana Protonotarius Titularis nihil est, et nihil habet, ideoque nullo privilegio habitus gaudet.

Horum porro habitus, ut diximus ab initio, tam in manteleto, quam in veste caudata, in omnibus niger esse debet, absque orbiculis et ocellis violaceis.

II. *Pro Gallia.* Quum S. Sulpitius (17 Ian.) sit Titularis Ecclesiae, festum S. Canuti semid. *ad libitum* perpetuo impeditur, ex decreto S. R. C. 4051, ad 4, ideoque, die 19 Ianuar. fieri deberet de oct. S. Sulpitii. Quaeritur utrum ea die 19 Ianuar. *perpetuo* reponi possit festum S. Antonii, festo S. Sulpitii impeditum?

R. Procul dubio *affirmative*. Vide quae ad rem docuimus in *Ephemeridibus* (*vol. I, pag. 538-542*). Dies enim in casu, 19 Ianuarii, revera libera evadit, ideoque in ea fieri deberet, de infra octavam S. Sulpitii. Cum vero habeatur officium S. Antonii *perpetuo* impeditum, et dies 19 sit prima libera post 17, toto iure debet celebrari quotannis die 19.

III. *Pro eodem loco.* Rubrica Missalis iubet Cruces Sanctorumque Imagines velari tempore Passionis. Num licet uti velis adeo translucidis, ut Cruces et Imagines huiusmodi velis contectae, fere omnino oculis appareant? Estne decretum quod huiusmodi velamentorum usum in casu prohibeat?

R. Non credimus voluntatem et usum Ecclesiae attingi, ab eo qui velis translucidis operit Cruces et Imagines.

Finis enim Ecclesiae non est ut muscae arceantur, sed ut Imagines effective ab oculis fidelium auferantur, *quia tunc divinitas*, inquit Durandus, *fuit abscondita et velata in Christo* (Cf. Meratum, *De Dominica passionis*).

IV. *Pro Verona.* 1. Oratio in Officio Commemorationis Passionis D. N. I. C. legenda est ut in typica editione Breviarii Romani, quae habet: *ut sicut solemnem commemorationem Passionis eius celebramus ita* etc., non vero: *ut sicut Commemorationis Passionis eius solemni celebramus officio ita* etc. Quia S. R. C. indulgendo ritum duplicem 1ae classis cum octava, noluit tamen variare locutionem ullam in officio. Dato autem quod alicubi error aliquod irrepserit, post Editionem typicam Breviarii omnes huic stare debent omnino.

2. Si de Festo, de quo fit Officium ritu duplici min. vel maiori, celebretur Missa solemnis *cum populi concursu,* in eadem Missa omittendae sunt commemorationes, quae locum non habet in dupl. 1ae classis, et dicendum *Credo.* Fiat tamen commemoratio Dominicae, et legatur eius Evangelium in fine.

3. Quando agitur Officium de Festo semiduplici infra Octavam B. M. V., et occurrat Feria maior, si legatur Missa votiva de Octava, dicendum non est in fine Evangelium Feriae, prout fit in Missis votivis per annum respondentibus Officiis votivis; est enim Missa votiva, officio diei non conformis.

V. *Pro Dioecesi Baionensi.* 1. In provincia nostra Auxitana, celebratur quotannis Dominica 1a non impedita post Oct. Ss. Apostolorum Petri ac Pauli Commemoratio Omnium Ss. Summorum Pontificum sub ritu *dup. mai.*

Nonne anno 1901 praedictum festum celebrandum fuisset die 14 Iulii, non obstante festo S. Bonaventurae, quod fit sub ritu *dup. min.?*

R. Negative. Quia dies 14 est impedita a festo S. Bonaventurae, ideoque nequit in ea celebrari Comm. Summorum Pontificum. Concessio enim dicit: *in Dominica prima libera,* atqui... ergo.

2. N. 9 anni 1901 *Ephemerides* pag. 511 asserunt: " omnes auctores convenire in hac sententia, quod festum

" a sua sede ablatum ob maioris officii occurrentiam, si " progressu temporis obstaculum removeatur ad suam sedem " sit restituendum. "

Nonne ista doctrina *in sua generalitate* accepta est contraria decreto S. R. C. n. 3767 ?

R. Si littera inspiciatur, solutio nostra contraria apparet decreto n. 3767. Nihilominus, sensu accepto iuxta spiritum legis, nihil in contrarium habetur. Decretum enim loquitur *de calendario a S. R. C.* recenter approbato, ideoque casus est particularis. Restat ergo sententia communis auctorum.

3. Constitutio Apostolica *Ubi primum* diei 3 Octobris 1898 ad omnes extendit Sacerdotes, dummodo Confratres sint Societatis Ss. Rosarii, si ad Altare eiusdem Confraternitatis celebrent, privilegium, quod iam Patribus Dominicanis concessum fuerat, legendi *bis* in hebdomada Missam votivam B. M. V. *pro tempore.*

Ex rescripto tamen S. R. C. diei 16 Augusti 1877, excipiuntur dies 1ae aut 2ae classis, festa de praecepto, feriae, vigiliae atque octavae privilegiatae. Insuper excipiuntur festa atque octavae B. M. V. Hinc quaeritur:

1. Utrum huiusmodi Missa celebrari possit v. g. die 17 Augusti, dummodo *loco Missae votivae*, dicatur Missa festiva Assumptionis eiusdem Virginis, ut coniicere licet ex decreto S. R. C. diei 30 Iunii 1896, n. 3922, ad V.

R. Affirmative, concordando duo decreta citata in casu.

2. Utrum eadem Missa sit prohibita infra Oct. Corporis Christi ?

R. Affirmative. Missae enim votivae prohibentur infra octavas privilegiatas, et privilegium in casu obstat.

SUPER CONCURRENTIA

DUORUM DIERUM OCTAVORUM

QUORUM ALTER AD SOLEMNIUS UNIVERSALE ALTER AD FESTUM SOLEMNIUS LOCALE PERTINET.

GRAVI OCCURRITUR DIFFICULTATI.

Difficultas. In 4° Ephemeridum numero vertentis anni, Dubii III *(Ex Urbe)* solutionem legi, pag. 246-253, *De concursu duorum dierum octavorum* etc. Tractatio splendore, eruditione et argumentatione ditatur, concluditque: " Concurrentibus die octava Deiparae Conceptionis et die octava Dedicationis Ecclesiae propriae, illi, non huic, competunt integrae Vesperae. „ Ob allata momenta et ipse huic responsioni subscribo. Verum quomodo conciliari ea potest cum Decreto 4 Mart. 1901, *Utinen.* ad II *(V. Ephem. an. 1901, pag. 332)*? Quaesitum est enim: " In concursu diei octavae Dedicationis propriae Ecclesiae cum festis Transfigurationis Domini, vel Dedicationis Basilicarum SS. Salvatoris, et SS. Apostolorum Petri et Pauli almae Urbis, quomodo ordinandae sunt Vesperae? „ *Resp.* " Dies octava Dedicationis Ecclesiae propriae non cedit, iuxta Rubricas, nisi duplici secundae classis. „ Nec satis. In casu, mense Aprili proposito, habetur concursus cum die octava Immaculatae Conceptionis, quae dies octava cederet duplicibus maioribus: e contra non cedit diei octavae festi Domini, quae tamen cedit solis duplicibus secundae classis iuxta Rubricas. Hucusque ferme ad litteram cl. Iacobus Rosada Prof. Liturgiae in seminario patriarchali Veneto: qui peroptat ut duplex difficultas attento animo perpendatur.

Resp. 1. Responsum quodcumque, ut probe intelligatur cum petitione, ad quam relationem necessario dicit, esse con-

ferendum, latere neminem potest. Iam enim, petitione perpensa, videre est, diem octavam Dedicationis ibi in concursu poni cum festis Transfigurationis Domini, Dedicationis Basilicarum SS. Salvatoris, et Dedicationis Apostolorum Petri et Pauli. Haec autem festa, non uti in relativis Basilicis sunt consideranda, neque ut a Clero Romano recoluntur, qui festum Basilicae SS. Salvatoris et Transfigurationis sub ritu dup. I cl. illa celebrat; sed uti fiunt extra Urbem, quia petitio ab Utino provenit; fiunt autem sub ritu dup. maiori. Responsio proinde petitioni data significat indubie, diem octavam Dedicationis Ecclesiae propriae non cedere dictis festis in concursu, quippe quae sunt ea ritus duplicis maioris. At quare ergo Sacrum Tribunal non respondit simplicius: Vesperae de die octava cum commemoratione alterius dup. maioris? Facilis responsio, quia nempe firmare voluit principium, quod emendata Rubrica statuerat, dies videlicet octavos festorum Domini si primaria et solemniora haec essent, vel universalia vel localia, nequaquam cedere Vesperas, nisi duplicibus II classis. Hic certus est Decreti sensus.

Iam nunc eiusmodi responsio applicari ne debet et diei octavae Deiparae Conceptionis, adeo ut neque huic, quod dup. II cl. non sit, dies octava Dedicationis Ecclesiae propriae cedere debeat? Respondemus negative. *a*) Quia esset contra ius commune Rubricarum, secundum quod, festum quod altero festo superius est, sive in occursu, sive in concursu, superius quoque necessario remanere debet quoad utrumque in relativa die octava. *b*) Responsio Decreti *Utinen.* respicit concursum diei octavae Dedicationis cum aliis festis, haud vero cum aliis diebus octavis, qui peculiaribus suis legibus gubernantur. *c*) Si ponas, diem octavam Dedicationis concurrere cum die octava Ascensionis vel Corporis Christi, nonne Vesperas integras dies octava Dedicationis Ecclesiae propriae haberet? Profecto, citra controversiam. Num vero diem octavam Ascensionis aut Corporis Christi dicere potes

duplex II classis? At dices, octavam diem Ascensionis et Corporis Christi alia de causa praeferri diei octavae Dedicationis Ecclesiae propriae, quia nempe solemniora sunt festa, ad quae dies eorum octava pertinet. Esto, reponimus; sed non est haec nostra quaestio et nos hoc tantum probare voluimus, limitationem nempe, sub qua Decretum in *Utinen.* accipiendum est, vi cuius ad dies octavos applicari non debet: secus indubie falleret. Ergo cum responsio in *Utinen.* diebus octavis applicari non debeat, sequitur manifesto, nil prorsus ex eo argui fas esse contra thesim, quam defendimus.

Resp. 2. Altera difficultas est gravior; dies enim octava Immaculatae Conceptionis, iuxta sententiam quam defendimus, praevaleret potiori festo et cederet inferiori. Sint quaedam exempla:

Decemb.:

13. S. Luciae, *dup. mai.*
14. Octava Dedicationis.
15. Octava Immaculatae Conceptionis.
16. S. Eusebii *dup. mai.*

In horum festorum concursu ita ordinabitur Calendarium: die 13 Vesp. de seq. com. praecedentis. Die 14 Vesp. de seq. com. praec. Die 15 Vesp. de seq. com. praec. Habes itaque diem octavam Imm. Conceptionis praevalentem diei octavae Dedicationis: diem octavam Dedicationis praevalentem duplici maiori: diem octavam Imm. Conceptionis cedentem Vesperas duplici maiori. Ergo dies octava Imm. Imm. Conceptionis absorbet diem octavam Dedicationis: dum interim ipsa eadem dies octava Dedicationis absorbet dup. maius, quod diem octavam Imm. Conceptionis absorbet. Quid est hoc? Ponam argumentum in forma scholastica, ut clarius eluceat. Quod cedit minori, a fortiori cedere debet maiori; atqui dies octava Imm. Conceptionis cedit duplici maiori, ergo a fortiori cedere debet diei octavae Dedicationis, quae duplici maiori superior est. Gravis difficultas;

primam enim ex praemissis rectus sensus docet: secunda ex Rubricis certa est; ergo et consequens admittendum videtur.

Nihilominus super prima praemissa animadvertimus, inter octavas dies inter se concurrentes aliquando posse non comprobari principium positum. Ratio est, quia festa inter et festa determinati sunt eorum gradus, nempe ritus, classis, primarii vel secundarii qualitas, nobilitas festi, personalis dignitas. Cum vero agitur de concursu inter diem octavam et aliam diem octavam, praeter recensitos gradus habentur saepe privilegia, quae diversi quoque gradus sunt. Ex quibus oriri potest incommodum, de quo supra. Namque dies octava Imm. Conceptionis duplici tantum minori ex privilegio praevalet, non maiori. Dies octava Dedicationis, cum statutum sit festum esse Domini, duplici quoque maiori praevalet. Si ergo alterutrum ex iis cum festo aliquo concurrat, cum unumquodque suo privilegio polleat, et applicandum sit, nullum sequitur inconveniens, et optime res procedit. Cum vero inter diem octavam utriusque concursus habetur, necessario oritur inconveniens praefatum. Aut enim negligitur maior festi nobilitas ex parte Imm. Conceptionis, et praevalet Dedicatio ex privilegio: aut privilegium in casu negligitur, tamquam non applicandum, et praevalet Immaculata vi nobilitatis festi. Quodnam ex his duobus inconveniens minus? Hoc enim ratio dictat seligendum esse. Si praevaleat dies octava Imm. Conceptionis, unice habebis praefatam anomaliam, ex qua festum quod praevalet maiori, minori quandoque non praevalet. Si vero praevaleat dies octava Dedicationis, in principium offendes, ex cuius laesione quae et quanta derivent incommoda scire vix poteris.

In Ecclesiis ex. gr. quae Deiparae dicatae sunt sub titulo Visitationis, cum festum istud occurrat infra octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli, utri, quaeso, festo praecedentia competit infra utramque octavam? An Ss. Apo-

stolis, an Visitationi? Cordubae in Hispania die 25 Iulii recolitur in Ecclesia *B.* festum S. Theodomiri Mart. Titularis, et S. Iacobum patronum Hispaniae, dup. 1. cl. cum octava, eadem die occurrentem translatum ponimus, ex privilegio, in ultimam eiusdem mensis Dominicam. Hinc quaeri potest, de quo agendum festum dicta die, quando simul occurrant? De S. Titulari, an de S. Iacobo? Et si S. Iacobus occurrat die 26 Iulii, de quo erunt Vesperae, ambobus simul concurrentibus? De quo item agetur officium infra utramque octavam? Similiter die prima Augusti, S. Theodomiri die octava, concurrente hac cum primis Vesperis S. Iacobi, utri competet praecedentia?

Hoc enim bene notandum, quod si festa primae categoriae non amplius certe praevaleant festis secundae, etiam ista aliis tertiae categoriae, uti est festum SS. Cordis, praevalere incertum erit, cum fortasse dicendum sit personalem dignitatem praevalere posse. Quid de alio hactenus recepto principio, nobilitatem octavae e festi nobilitate desumendum? Si praefata iam nutent, quaenam erunt consectaria, quae possent inferri?

Hinc arbitramur, minus esse inconveniens aliquam tolerare anomaliam, quae in aliquo tantum casu comprobari potest, quam liturgica principia vel minimum laedere, quibus praecipuae occurrentiae et concurrentiae leges consistunt. Ceterum, haec nostra videndi ratio, quam sapientiori iudicio subiicimus.

CONSULTATIO LITURGICA

DE BENEDICTIONE CUM SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Quaesitum.

Pluribus in locis, tam Galliae quam Italiae (1) diebus festis post Vesperas, vel post sermonem ad populum, decantantur Litaniae B. M. V. aut dicuntur speciales preces ex. gr. pro novendialibus aut triduis in honore B. Mariae vel alicuius Sancti. Finitis autem his precibus, exponitur SS. Sacramentum in ostensorio super Altare, ponitur incensum, intonatur *Tantum ergo,* et post inclinationem ad *veneremur cernui,* Sacerdos incensat Sacramentum. Cantato dein *Genitori Genitoque* cum ℣. *Panem de coelo,* et dicta oratione *Deus, qui nobis,* Sacerdos, accepto velo humerali albo, ad Altare conscendit, et cum ostensorio fidelibus benedicit. Rectene ?

Responsum.

Ritus benedicendi populum cum SS. Sacramento, uti hic traditur, omnino probandus est ; congruit enim cum ritu illius benedictionis, omnium typicae, quae praescribitur post Processionem in festo Corporis Christi, tam in Caeremoniali Episcoporum, quam in Rituali Romano. Cum enim recentissima sit in Ecclesia, consuetudo benedicendi populum, cum SS. Sacramento, absque vera eius expositione, nulla alia lex habetur in Rubricis, nisi illa pro benedictione post Processionem.

(1) Haec consultatio valeat pro responsione ad dubia, quae nobis exposita fuere e Beyrouth ac e civitate Ianuensi.

Caeremoniale ergo *(lib. 2, c. 33, nn. 24, 25, 26)* dicit, quod finita Processione, postquam Celebrans pervenerit ad supremum Altaris gradum: " Diaconus a dextris cum debita " reverentia, et genuflexione, accipiet de manu celebrantis " Sanctissimum Sacramentum; et illud super altare collo- " cabit. Interim cantores in cantu pausato et devoto can- " tabunt *Tantum ergo.* Deinde, post incensationem, dicto " ℣. *Panem de coelo* et cantata oratione *Deus, qui nobis.* „ sequitur Caeremoniale dicens: " qua finita (celebrans) ac- " cedet ad altare et accepto ostensorio cum SS. Sacra- " mento.... cum illo signum crucis super populum ter faciet, " nihil dicens. Quo facto, iterum deponet Sacramentum super " altare, deponet velum etc. „

Nihil hic loquitur Caeremoniale de throno, sicut de eo tacet quando dicit *(ibid. nn. 16, 17)* quomodo imponendum sit Sacramentum in ostensorio. Item de throno nihil dicit, quando *(ibid. n. 22)* ait: " Si longior fuerit (Processio) po- " terit Episcopus in aliqua ecclesia et super illius altare de- " ponere SS. Sacramentum et aliquantulum quiescere. „

Similiter Rituale Romanum *(Tit. IX, c. 5, n. 5)* dicit: " Peracta processione et SS. Sacramento ad Ecclesiam re- " portato, et super altare deposito, omnes Ecclesiastici, qui " adsint, hinc inde ordine genuflexi illud reverenter ado- " rantes, dum Sacerdos de more incensat, sequentem Hymni " partem concinant: *Tantum ergo*, etc. „.

" Postea duo clerici dicant: ℣. *Panem de coelo*, etc. " deinde Sacerdos stans dicit *Oremus: Deus, qui nobis* etc. „

6. " Tunc Sacerdos, facta genuflexione, cum SS. Sacra- " mento semel benedicat populum in modum crucis, nihil " dicens: postea illud reverenter reponat. „

Si ergo in omnium maxima SS. Sacramenti solemnitate, in qua triumphum eius quodammodo celebratur, Rubricae thronum non exquirunt, sed sufficit ut ponatur super Altare, tanto magis necessarius non erit quando datur simplex be-

nedictio, sine expositione, proprie dicta, plus minusve solemni.

Sufficit ergo ut super Altare exponatur, propter tria:

1.° Quia Altare, iam est locus omnium in Ecclesia veneratissimum et honorificentissimum; ad hoc enim consecratur ritu speciali, ut digne in eo perficiatur SS. Sacramentum.

2.° Quia tempus, quo in casu super altare expositum manet SS. Sacramentum, tam breve est, ut necessarium non sit illud in throno collocare, cum illico ab eo removeri debeat.

3.° Quia haec agendi ratio conformis est Rituali Romano: quod *(loco cit. n. 7)* aperte dicit: " Hic autem modus " benedicendi servatur etiam in aliis Processionibus faciendis " cum SS. Sacramento. „ Ergo, etsi hic loquitur Rituale de *aliis Processionibus*, et non de *simplici benedictione*, ut casus noster, nihilominus haec Rubrica stricto iure ad rem nostram facit omnino.

Primo quidem, quia simplex benedictio minori solemnitate agenda est, ex natura sua, quam Processio; secundo autem, quia Rituale nullam de simplici benedictione mentionem facere poterat, cum sub Paulo V, qui illud promulgavit, nondum esset in usu.

Neque obiicias Instructionem Clementinam, quae thronum praecipit, ut ostensorium solemniori ritu in throno collocetur. Etenim quod de throno in solemni expositione, ab Instructione praedicta (*Collectio S. R. C. decr. vol. 4, pag. 18, §. 5;* vide etiam *Ephem.* nostras n. 2 huius anni pag. 103, et n. 3, pag. 163-165) aut a specialibus Ordinariorum edictis praecipitur, id applicari non semper debet simplicibus benedictionibus.

Animadvertimus autem, hanc sententiam mitiorem esse, legi conformem, facilioremque, ut commodius Expositio fieri queat: atque interim quae alibi hac super re fortasse dictum fuit, in melius mutamus.

Alicubi etiam mos invaluit, cum datur simplex benedictio, imponendi ostensorium non in throno super Tabernaculum, sed in parvo subsellio, vulgo in Gallia appellato *Thabor*, quod collocatur super mensa in medio Altaris, sine ullo tecto, aut baldachino.

Hoc quoque, novum est omnino, et nullibi legitur de hoc subsellio, in libris liturgicis; ac proinde usus eius esset prorsus damnandus, nisi admiratio fidelium non suaderet, aliter se gerendum, ad tempus.

Si originem consuetudinis, adhibendi tam thronum super Tabernaculum positum, quam illud parvum subsellium, investigemus, procul dubio inveniemus illam ortam duxisse ex confusione, quae indubie orta est inter expositionem proprie dictam, et simplicem benedictionem.

Ritus expositionis plus minusve solemnis regitur ex Instructione Clementina, ritus vero Benedictionis, ex locis Caeremonialis Episcoporum et Ritualis Romani, quos supra retulimus. Sed inter utrumque casum distinctio iure potest fieri, et debet.

Et cum de argumento hoc tractemus, concludere non possumus quin de alia consuetudine parum probanda, sensim sine sensu multis in locis invecta aliquid dicamus.

Alicubi enim, non in expositione, proprie dicta, sed in simplici benedictione cum SS. Sacramento, fit expositio ostensorii in throno super Tabernaculum; et coram ipso preces leguntur alicui Sancto, vel B. Mariae V. directae, ita ut pro SS. Sacramento nil aliud dicatur, nisi *Tantum ergo* cum sua Oratione. Si perscrutemur sensum Ecclesiae, hanc consuetudinem, novam prorsus, approbare non possumus. Quando enim SS. Sacramentum exponitur solemniter, dicit Instructio Clementina § III (vide *Ephemer. n. 2 huius anni, p. 101*): „ in altari non ponantur Sanctorum Reliquiae aut Statuae, ... quod etiam prohibetur in omnibus expositionibus particu-„ laribus. „

Quod facile intelligitur; quando enim sol emicat, sidera cuncta obnubilantur, ideoque cum SS. Sacramentum adorationi exponitur, ad ipsum solum cultus exhibendus est.

A pari ergo, imo a minori ad maius, dicendum est, Ecclesiam adprobare nolle ut Sanctis cultus exhibeatur, neque ad illos preces fundantur, quando SS. Sacramentum expositum manet.

Neque dicatur, quod in expositione XL horarum decantantur Litaniae Sanctorum, quia huiusmodi invocationes Sanctorum, indirecte Sanctos respiciunt: Litaniae enim, cum praecedentibus et sequentibus constituunt preces poenitentiales ad Deum, et aliunde nequeunt in exemplum adduci pro casibus diversis. Neque item dicatur quod S. R. C. decreto suo 18 Februarii 1843, n. 2856, preces pro mortuis coram SS. exposito non prohibuit; primo quidem, quia has preces admisit tantum ubi sunt in usu, non alibi, ut in alio decreto 12 Augusti 1884, n. 3616: secundo quia aliud est precari Deum pro mortuis aliud est preces profundere ad Sanctos. Etenim, cum Deum precamur, in suffragium defunctorum, orationes fundimus directe ad Deum: nil ergo incongruum ut coram SS. fundantur. Cum vero Sanctos ipsos precibus colimus, coram SS. exposito, videtur aliquod inconveniens.

Quam ob rem eadem S. R. C. suo decreto 31 Augusti 1871 n. 3157, ad 8, admisit in publicis expositionibus formulas vulgares dictas *Amendes honorables*, quae revera Deo directe solvuntur.

Licet ergo alicubi huiusmodi consuetudo recitandi preces, etiam sermone vulgari, ad Sanctos, invecta sit, nobis videtur adprobanda non esse, ideoque multo melius tales preces prius recitantur, et dein SS. Sacramentum e Tabernaculo extrahitur, in Ostensorio collocatur, et post *Tantum ergo* eiusque Orationem, impartita benedictione denuo reponitur.

Fiant itaque secundum ordinem omnia, neque sub aspectu maioris devotionis aliquid proprio marte inducatur in sacris Ecclesiae ritibus. Ita salvo meliori iudicio.

Doct. Petrus Piacenza.

CENSURA LITURGICA

Numquam satis laudanda est Ephemeris, quae italica lingua iam 27 abhinc annis evulgatur sub nomine " *Il Monitore Ecclesiastico*; " innumera enim servitia reddidit clero, tam in rebus mere ecclesiasticis, quam in canonico-civilibus. Nihilominus, nonnullas imperfectiones aliquando in ipsa, quoad rem liturgicam, invenimus. Quapropter, cum sit amanda veritas super omnia, opportunum credimus aliquid tangere, ex iis quae leguntur in fasciculo 30 Aprilis huius anni.

Praeclara EPHEMERIS (*Pag. 93*) resolvit posse Vicarium Capitularem concedere usum throni episcopalis Metropolitano suo et S. R. E. Cardinali, ac etiam Episcopo alieno. Quoad Metropolitanum et Cardinalem vere *non potest*, non enim est in libertate Vicarii Capitularis negare thronum; quia confitente ipsamet Ephemeride, Metropolitanus et Cardinalis ius iam habent ex se, ad thronum, iuxta dispositionem Caeremonialis (*Lib. 1. c. 13, n. 4 et 9.*). Vicarius ergo Capitularis illis *debet* omnino relinquere eis ut iure proprio utantur.

Quoad vero alienum Episcopum, nos credimus, contra laudatam Ephemeridem, Vicarium Capitularem illi non posse concedere thronum, quoadusque S. R. C. aliter non disponat. Ratio est, quia vi Caeremonialis Episcoporum, cuius adhuc lex viget, cedi non deberet ab ipso Episcopo thronus, nisi hodie adesset citatum decretum 9 Maii 1899, n. 4023, quo facta fuit Episcopis facultas illum cedendi Episcopo hospiti, dummodo non sit dioecesani Coadiutor aut Auxiliaris, etc. Haec autem facultas rationem habet privilegii, quod cum sit derogatorium legis, stricto sensu accipienda est, neque extendenda Vicariis capitularibus.

Neque ad rem facit citatum effatum: *ubi eadem est ratio, eadem est iuris dispositio;* 1.° quidem, quia, ut nos docet Ephemeris ipsa, non omnia quae Episcopis conceduntur, concessa sunt Vicariis Capitularibus. 2.° Quia cum agatur de functionibus agendis tempore sedis vacantis, opportunum omnino est, et congruum, quod vacua remaneat episcopalis sedes, ut populus videat nondum suum obtinuisse Pastorem. 3.° Denique, quia bene poterit Episcopus alienus satis solemniter pontificalia agere ad faldistorium, uti fit Romae ab ipsis Patribus purpuratis in Basilicis maioribus, quin necesse sit ut thronum conscendant. Cum ergo non *eadem sit ratio*, neque eadem censenda est iuris dispositio.

Quod si Apostolica Sedes, dispositionem decreti n. 4023 ad Vicarios capitulares extendere voluerit, debito obsequio illam excipiemus; hodie tamen ratiocinando credimus hanc facultatem Vicarium capitularem nullo modo habere.

Neque valet opponi, quod licet sedes episcopalis vacet, attamen Cardinalis seu Metropolitanus thronum conscendere potest; quia paritas in casu non valet. Cardinalis enim Summum Pontificem representat, ideoque, sicut pro Papa nulla sedes vacat, utpote qui in toto orbe est Pastor, ita eius repraesentans. Similiter Metropolitanus, in tota sua provincia est praeses. Hinc populus iam noscit, huic et illi honores suae dignitatis competere, etiam in sede vacante.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE AUGUSTO 1902.

Utrum Episcopo ordinario praesente in Choro debeantur Clero consuetae reverentiae?

SOLUTIO QUAESTIONIS

PRO MENSE IUNIO PROPOSITAE

PROPOSITIO.

In Ecclesia A..... Cereus Paschalis praegrandis habetur, qui semel benedictus, cum ad fontis benedictionem sit ineptus ob aediculae depressionem, singulis annis suo loco absque novo ritu, additamento vulgo *giunta*, quando opus est, renovatò, Sabbato sancto collocatur; dum pro fontis benedictione alius minoris formae benedicitur. Hic autem expleta fontis benedictione Sabbato Pentecostes, prope Altare SS. Sacramenti consumitur, reliquiis eiusdem ac granis thuris a fidelibus devotionis ergo asportatis.

At anno elapso, maiori Cereo confracto, novus suffectus est, et una cum minori, sub unico videlicet ritu, benedictus.

Cereus maior quinque ligneis pineis, argento auroque obductis, pro granis incensi adornatur; minor grana inclusa habet quibusdam in thecis formam pineae praeferentibus.

Quid de his omnibus dicendum?

SOLUTIO.

Quaedam, in casu prout iacet, licent, et quaedam vetantur.

a) Inter licita computandum est, primo Cereum Paschalem praegrandem habere, qui semel benedictus, non

quidem inservit ad fontis benedictionem, sed quotannis prope Altare loco consueto collocatur, sine nova ceremonia Sabbato sancto, et toto paschali tempore accenditur, dum commoditatis causa benedicitur et alter Cereus minoris formae qui, attenta aediculae depressione, proprie reservatur pro functione liturgica fontium.

Decretoria sunt omnino verba Congregationis, quae humillime interrogata pro declaratione dubii sequentis: " An " sit servanda asserta consuetudo adhibendi in Sabbato san- " cto parvum cereum pro Praeconio ad maiorem commodi- " tatem Celebrantis, aliumque maiorem alias benedictum " accendendi in Dominica Resurrectionis ac toto tempore " paschali; vel potius pro omnibus his functionibus adhi- " bendus sit unus et idem Cereus in toto vel saltem in parte " in singulis annis renovandus et benedicendus ? " respondendum censuit: " Servetur solitum. " (1)

Recentius, Magister Caeremoniarum Ecclesiae metropolitanae de Venezuela, exponens in dicta Ecclesia ad benedictionem Fontis baptismalis in Sabbato sancto et in Vigilia Pentecostes adhiberi loco Cerei paschalis alium Cereum, quia magnitudo Cerei paschalis non permittit eum asportare ad dictam benedictionem, exquisivit: " an huiusmodi " consuetudo possit tolerari ? " Ad quod respondit Congregatio: " Affirmative, dummodo etiam cereus alter sit bene- " dictus, in eoque infixa sint quinque grana thuris. " (2)

Quae doctrina confirmatur eodem anno. R.mus Archiepiscopus Mexicanus, declarans in Metropolitana sua " Sab- " bato maioris hebdomadae inolevisse usum adhibendi par- " vum Cereum non benedictum in benedictione fontis (si- " quidem impossibile omnino foret adhibere illum qui be- " nedicitur, utpote magnae molis), postulavit itaque ut prae-

(1) S. R. C. 15 Sept. 1753, n. 2425, ad 8.
(2) S. R. C. 23 April 1875, n. 3352, ad 1.

" dicta die duo benedici valeant Cerei, alter ad latus altaris " adhibendus, et alter deferendus in Processione et adhi- " bendus in benedictione fontis. „ Quibus precibus responsum fuit: " In benedictione Fontis adhiberi potest alius " Cereus minoris molis, dummodo alias fuerit benedictus (1). „

Quin imo, loco Cerei paschalis qui manet toto tempore paschali prope Altare maius, adhiberi potest alius Cereus in sacello laterali, ubi diebus ferialibus a Canonicis praefatae Ecclesiae cathedralis fit officiatura sine cantu, " dum- " modo hic alius Cereus alias fuerit semel benedictus, in " eoque infixa sint quinque grana thuris (2). „

Hinc ergo minime dubitari valet de veritate huius primae assertionis, quae adhibere permittit diversos Cereos, " dummodo sint benedicti, „ pro variis functionibus Sabbati sancti exequendis, " et quinque grana thuris infixa sint in " singulis (3). „

Secundo, legitimum est non renovare quotannis unum et alterum Cereum, sive ex toto, sive ex parte quae consumpta est, sed exspectari potest annus ipse, in quo pars accendenda non esset sufficiens pro toto paschali tempore vel pro functione adimplenda.

Testem habemus interrogationem R.mi Parochi Cathedralis Ecclesiae Nemausen. postulantis, nimirum: " An re- " novandus sit quotannis Cereus Paschalis sive ex toto, sive " ex parte quae consumata fuit? „. Ad quam S. R. C. respondendum censuit: " Negative quoad primam partem: " Affirmative quoad secundam, id est, posse, et teneri tantum " cum pars accendenda non sufficiat pro toto tempore pa- " schali (4). „ Quam partem intelligas esse debere eam, quae

(1) S. R. C. 19 Iunii 1875, n. 3358.
(2) S. R. C. 27 Mar. 1896, n. 3895, ad 2.
(3) Cfr. *Ephem. Liturg.* anno 1890, pag. 256.
(4) S. R. C. 27 Mar. 1896, n. 3895, ad 1.

superest cum quinque granis thuris, ut ex supra dictis apprime liquet; aliter, renovetur cereus.

Quid autem agendum circa dictum Cereum, si *giunta* renovatur? An benedicendus, nec ne? Azevedo ita se exprimit: Cum nonnulli Ecclesiarum superiores, ut sumptibus parcant, Cereum benedictum hoc anno, in Sabbato sancto et inter divina officia pluries accensum, atque adeo ex parte consumptum, soleant eundem reficere pro anno sequenti, addita solum de novo minori parte absumpta, eumque sic refectum iterum benedicere in proximo Sabbato sancto, dubium vertitur an hoc licite fieri possit. Ratio dubitandi exinde oritur quod semel benedictus non amittat benedictionem quoad partes consumptas, nec etiam admittat benedictionem ex eo quod postea reficitur, addita solum minori parte absumpta, quia maior pars quae remanet benedicta trahit ad se minorem: unde Cereus totus quamvis refectus, perseverat benedictus; quapropter non potest iterum benedici, cum frustranea esset haec secunda benedictio. Attamen iamdudum inolevit praxis multarum Ecclesiarum Cereum anni praeteriti passim iterum benedicendi; quid igitur iuris? Si Cereus anni proxime elapsi quoad maiorem sui partem fuerit consumptus, ita ut illa pars quae additur de novo superet partem illam quae remanserit seu cui fit additio, tunc licite Cereus sic renovatus iterum anno sequenti benedici potest, quia per additionem maioris partis amittitur prior benedictio, cum maior pars non benedicta trahat ad se minorem benedictam: unde in hoc casu non benedicitur Cereus iam benedictus. Si vero Cereus anni praecedentis solum reficiatur quoad partem minorem, utique non licite potest iterum benedici, cum Missalis rubricae visque formae benedictionis seu praeconii Cereum nondum benedictum supponant; is vero iam est benedictus, quia pars maior minorem ad se trahit, adeoque haec secunda benedictio suo frustraretur effectu contra reverentiam ei debitam. Quapropter corrigenda est earum Ecclesiarum praxis, quae fere semper

eumdem Cereum, donec totus fuerit consumptus, vel Cereum minori parte renovatum benedicunt (1). „

At vero cum bona pace illius auctoris, uti Quarti (2), et De Herdt (3) qui eamdem tenent doctrinam, dicimus benedictionem Cerei paschalis non esse vere constitutivam, et nihil igitur obstare quominus iam benedictus, iterum et in unoquoque anno benedici *possit* absolute, licet consumptus quoad minorem partem dumtaxat, et sive refectus ex eadem parte quae consumpta est, sive non. Ratio est, quia ea quae canit Diaconus " Praeconium paschale „ liturgice nuncupatur; in toto contextu nullum reperitur verbum, nulla formula, quae benedictionem per Diaconum exprimat, nec Diaconus ullum producit super Cereum signum Crucis, quod propriae benedictioni associari solet; sed his praetermissis, adhibet grana incensi et lumen, iam prius a Sacerdote rite benedicta, et per ea tantum Cereus ipse merito dici potest benedictus (4). Hinc quotannis repeti potest cum plena verborum verificatione " Praeconium paschale „ super eumdem Cereum, et infigi in eo thuris grana " denuo „ benedicta, " nisi eadem, „ et accendi ipsum cum igne novo benedicto, quin renovetur totus vel ex parte absumpta; et quod vocatur improprie benedictio Cerei paschalis, non idcirco suo frustratur effectu, quoniam agitur de benedictione invocativa (5). At, si semper libera est talis benedictio, non obligat nisi quando pars accendenda non sufficeret pro tempore paschali et iam totus Cereus renovatur, uti quando, maiori Cereo confracto, novus suffectus est. Namque pro functio-

(1) Azevedo, *De divino Officio*, 1ª Pars, Exercitatio 45, De Passionis Dominica.

(2) *De benedict.* Tit. II, dub. II.

(3) Tom. III, n. 53.

(4) *Ephem. Liturg.* anno 1890, pag. 473 et 1891 pag. 453; Van Der Stappen, *De Sacramentalibus*, Tit. VIII, n. 322.

(5) *Ephem. Liturg.* anno 1896, pag. 286.

nibus Sabbati sancti et Vigiliae Pentecostes rite obeundis, Cereus, nonnisi de more benedictus, adhibendus est (1).

Tertio, licitum est, expleta fontis benedictione in Sabbato Pentecostes, reliquias Cerei servare et grana Thuris, ut devotionis causa distribuantur Fidelibus, qui ea secum asportant cum religione. Hoc patet iam in Oratione benedictionis granorum incensi, per quam supplicatur, ut " in " quocumque loco ex huius sanctificationis mysterio aliquid " fuerit deportatum, expulsa diabolicae fraudis nequitia, " virtus tuae maiestatis assistat (2). „ Antiquus est deinde hic modus agendi, cum Ennodius testificetur in saeculo VI dictas Cerei particulas fuisse adhibitas contra pericula et tempestates, ut constat ex formula benedictionis tunc temporis recitata: " Sumptam ex hoc Cereo contra procellas vel " omnes incursus fac, Domine, dimicare particulam. „ Quod etiam Durandus confirmat in suo " Rationali divinorum officiorum „ dicens Cereum, secundum quarumdam ecclesiarum consuetudinem, distribui " ad significandum quod in " ultima resurrectione Christus fidelibus in praemio tribuetur, " ad quod expressius significandum Romana Ecclesia Agnos " facit a Papa benedictos (3). „

b) Si nunc de licitis transeamus ad vetita, sic procedere nobis bene visum est. Primo, non licet, expleta in Vigilia Pentecostes benedictione fontium, Cereum paschalem relinquere accensum prope Altare SS. Sacramenti, ut plus minusve totus consumetur ante distributionem Reliquiarum eius et granorum incensi. Hoc consequitur ex rubrica speciali, quae post Evangelium Ascensionis posita expresse dicit Cereum paschalem non amplius accendi debere " nisi in Sabbato Pentecostes ad benedictionem fontis. „ Quod con-

(1) Dec. iam cit. superius.

(2) Sabb. Sancto.

(3) *Ami du Clergé*, année 1890, pag. 674.

firmatur apertius per Congregationem Rituum, quae, interrogata an Cereus paschalis debeat ardere dum cantatur Missa in Vigilia Pentecostes, respondit exquisito voto Commissionis Liturgicae: " Negative, et servetur specialis Rubrica Missalis (1). „ Adde etiam rationem liturgicam, quae non patitur dictum Cereum remanere accensum post benedictionem fontis, quoniam veluti symbolum Iesu Christi non convenit ulterius perseverare visibilem et accensum, quatenus Redemptor ipse iam invisibilis sedet in coelo. Quapropter auctores dicunt, nempe cl. Bourbon: " Lorsqu'on est rétourné à l'Autel, on éteint le cierge pascal, et on ne le rallumera plus (2) „; — De Herdt: " Completa benedictione fontis, " eodem ordine ad altare revertitur (minister de Cereo pas- " chali), ibi vel Cereum exstinguit et deponit.... vel potius " cereum in sacristiam defert, ibique eum deponit (3) „; — et Martinucci: " Postea redibitur ad altare ordine ibidem " notato, et clericus gestans cereum paschalem non imponet " illum candelabro, sed referet in sacrarium, extinguetur ac " reponetur, cum usque ad Sabbatum Sanctum anni venturi " non sit amplius adhibendus (4). „

Secundo, non licet praelaudatum Cereum adornare quinque ligneis pineis plus minusve auro et argento obductis, quae locum teneant granorum incensi. Quippe haec non tantum pro quadam repraesentatione infiguntur, sed Ecclesia exigit vera et non ficta grana, in quibus cadit benedictio, quae deinde communicatur ipsi Cereo paschali. Iuxta Romsée siquidem, benedicitur Cereus paschalis introductione quinque granorum incensi in illum, et forte etiam aliquatenus concurrere potest ignis benedictus quo accenditur. Idque evinci

(1) S. R. C. 24 Nov. 1899, n. 4048, ad X.
(2) Pour la bénédiction des Fonts.
(3) Praxis Pontif. Lib. II. n. 191.
(4) Manuale Sacrar. Caerem. Lib. II. cap. 31.

potest ex eo quod praeter hos actus nihil amplius inveniri possit faciens ad huius Cerei sanctificationem; nam, peracta benedictione granorum incensi et novi ignis, deinceps non attingit dictum Cereum. Equidem Diaconus cantat praeconium paschale, sed quo praecise exaltantur laudes et effectus eiusdem Cerei. Aliunde Diaconus non est minister alicuius benedictionis, proindeque haec benedictio reponenda est in unione granorum incensi cum Cereo, et forte etiam, ut antea diximus, in accensione illius cum igne benedicto, et quamvis haec fiant a Diacono, tamen vim sanctificandi Cereum solum trahunt a sui benedictione per opus Sacerdotis (1).

Tertio, minus placet introductio granorum incensi in minorem Cereum, mediante ipsa theca in qua singula includuntur, quia exinde aliqualiter deperditur intimitas unionis cum Cereo, qualis desideratur ab Ecclesia. Attamen non putamus hoc nocere validitati benedictionis Cerei, sicut et facere unctiones cum virgula aut spatula non nocet validitati Sacramenti Agonizantium. Quinimo, si agatur tantum de quinque clavis cereis, qui alicubi in candela paschali implantantur super ipsa grana incensi, et duxisse ortum videntur ex frustulis cerae quibus forte olim foramina granorum incensi occludebantur, nedum aliquid reprehensibilis appareat in eo quod haec successu temporis formam clavorum induerunt, melius exinde repraesentant memoriam vulnerum quinque D. N. I. C., quae operata sunt per clavos pedum et manuum, atque per ferrum acutum lanceae; et ideirco, quidquid dicat Romsée in contrarium (2), in eo non est falsus cultus resecandus, utpote continens aliquid contrarium veritati et menti Ecclesiae.

Pro coronide superest dicere an duo benedici valeant Cerei sub unico ritu. Quoad validitatem, possibilitas non

1) Tom. III. De Sabbato Sancto.
2) Ibid.

mihi videtur dubia, quia sufficit preces et laudes effundere super uno et altero cum unione granorum et accensione cum igne benedicto pro utroque Cereo. Ad licitatem autem quod attinet, decisionem remitto sapientioribus et auctoritati competenti, quia Rubrica specialis loquitur tantum de uno Cereo, dicens: " Deinde benedicit quinque grana incensi ponenda in Cereo... „ Insuper casus clare exprimitur ab Archiepiscopo Mexicano, n. 3358 supra relato, et S. R. C. in sua responsione, supponit pariter unum benedici in praesenti, et alterum in praecedenti anno benedictum adhiberi pro functione fontis, quoniam " In benedictione fontis adhiberi potest alius cereus minoris molis, dummodo alias fuerit benedictus, „ quin casum positum clare dirimat. Hinc haesitatio pro definitiva huius partis solutione; quam, si dare placet *Ephem.*, ultro amplectemur (1).

A. Fourneret
Acad. Liturg. Rom. Conser.
Parochus loci vulgo dicti Lannes *(Dioec. Lingon.)*.

(1) Huic solutioni cl. Fourneret cohaeret alia alterius nostri adlaboratoris Doct. Petri Piacenza: in uno tamen discordat, ideoque hic addimus partem non concordantem, quam satis probatam credimus.

" . . . Quoad autem praxim. expleta fontis benedictione in sabbato Pentecostes, Cereum paschalem consumendi prope Altare SS. Sacramenti, reprobandam non esse credimus; non est enim, neque *contra legem*, neque *incongruam*. Licet enim in Missale legatur, post evangelium Ascensionis non amplius accendi debere, nisi in Sabbato Pentecostes ad benedictionem fontis, huiusmodi rubrica intelligenda est de accensione Cerei tempore divini officii, ad latus Evangelii Altaris maioris, in quo functiones celebrantur. Praxis vero Cereum consumendi ad Altare SS. Sacramenti in nullo contradicit huic Rubricae, nullam enim relationem habet huiusmodi accensio cum officiis divinis ad Altare maius celebratis. Adde, quoad casum propositum, *grana thuris* a Cereo sic ardente *esse asportata*; non amplius ergo haberi potest ut verus paschalis Cereus: nil itaque contra legem.

" Sed neque *incongrua* est haec praxis. Compertum est enim Cereum inter res benedictas esse comprehendendum: *igitur* ut res sacra haberi debet. Lege commentarium ad decretum 2684, dub. 9, in 4

Volumine collectionis pag. 325; ibi dicitur ex reliquiis cerei paschalis fiebant *Agnus dei*, qui fidelibus devotionis causa distribuebantur; optimus quidem modus, ut residua sacri Cerei consumentur. Quod si alicubi consumetur ad Altare SS. Sacramenti, valde haec consuetudo laudanda est, congruit enim cum dispositione Pontificalis Romani: quam explicat S. Carolus *(Acta Mediol. Eccl. t. 1, p. 2)* dicens: *Parochus ubi primum olea nova acceperit, vetera comburat in lampade quae ante SS. Sacramentum collucet, bombyce in sacrario plane exusto.* Ex bombyce nempe, ait Cavalerius *(T. 4,. 26 n. 8)* prius exprimatur oleum in lampade. Si ergo vetus oleum, ut res sacra, ante divinam Eucharistiam consumi debet, bene etiam et cereus paschalis, res item sacra, ante ipsam consumi fas erit. Porro si nulla lex vetat quod ad Altare SS. Sacramenti, non una lampas ex oleo, sed multae ardeant, et interim Cerei quoque, puta a fidelibus oblati, colluceant, non videmus incongruum quod inter hos Cereus quoque paschalis ardendo consumetur.

Hoc unum advertendum tamen, quod si, ut fit in Ecclesiis parochialibus non collegiatis, in Altari in quo divina officia celebrantur, SS. Sacramentum conservatur, tunc ut nullus admirationi fiat locus, Cereus paschalis consumi debeat, non in loco solito, nempe super suum candelabrum a parte Evangelii, sed super aliud candelabrum, et alio in loco ...

Quantum in nobis est, circa dubium quoad liceitatem benedictionis duorum simul Cereorum, nihil videmus in contrarium adduci posse, si novus uterque sit, necessitas enim, in casu, id suadet faciendum: ceterum, quae dicuntur de uno, de altero quoque intelligi possunt. Excludimus vero utriusque benedictionem, si minor iam semel saltem benedictus fuerat, eo quod nova non indigeat benedictione, ex citato Decreto.

Vidimus in quadam Ecclesia cereum paschalem ferreum, vacuum, depictum, fictis quoque granis ornatum, cui machinae ope cereus introductus per foramen in summitate accendebatur. Quid nimis hoc est! Videant Ecclesiarum praesides, ne sacri ecclesiastici ritus ad vana figmenta paulatim reducantur.

REDACTIO.

IMPRIMATUR
P. Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
IOSEPH CEPPETELLI, Archiepiscopus Myren., Vicesgerens

PROPRIETAS LITERARIA.

Romae 1902. - Typ. Bodoniana R. Alderighi. Hosp. vulgo "Tata Giovanni,
Piazza del Biscione, 95